



V. 8.

~~H. III. 28.~~

*Dissertationes medicæ*



239<sup>c</sup>

DISPUTATIO MEDICA  
CORPUS HUMANUM  
**SYMPATHE-  
TICUM**

sistens,

Quam,

Gratiosissima Facultate Medica

Indulgente,

*Pro L O C O*

in Eadem obtinendo

ad diem 19. Augusti A. C. M DCCI.

H. L. Q. C.

publice ventilandam  
exhibit

MICHAEL ERNST ETTMÜL-  
LER, M. F. Phil. & Med. Doct.  
Respondente

Friderico Friedel/ Scaudiza-Ciz, Misn.  
M. C.



LIPSIAE, Typis JOH. GEORG.



B. B.

DISSERTATIO MEDICA  
De  
CORPORE HUMANO  
SYMPATHETICO.

S. I.

**C**um prima post Reges exactos Romæ discordia esset orta, (Anno sc. IV. Olymp. 71. ab urbe condita 260.) & Patrum imperio plebs se subjecere detrectaret, Menenium Agrip- pam, Oratorem ad plebem mittere Senatui integrum visum fuit, qui intromissus in castra nihil aliud, quam hoc narrasse fer- tur: Tempore, quo in homine, non ut nunc, omnia in unum con- sentiebant, sed singulū membrū suū cuique consilium, suū sermo fuerat, in- dignatae reliquæ partes sua cura, suo labore, ac ministerio ventrī omnia querī; ventrem in medio quicquid, nihil aliud agere, quam datis voluptatibus frui; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec den- tes conficerent; hac ira dum ventrem domare vellent, ipsa uirā membra, totum que corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes cor- poris partes hunc, quo vivimus, vigemusque, divisum pariter in venas matutinum confeccio cibo sanguinem; prout refert Titus Livius Hisbor. Lib. II. Cap. 32. Non anxia jam in singula hujus Sermonis inquiram verba; hac solummodo annotasse sufficiet, non a vero me abludere, si statuam cum oratore hoc, omnibus atque singulis corporis humani partibus suam dignitatem, suumque honorem esse servandum; siquidem vel minimæ earum ad totius cor- poris vel elegantiam vel utilitatem a D E O T. O. M. fuerunt condita; ita ut consensus hujus, quem partes inter se fovent, ratione non immerito Sym- patheticum vocetur Corpus humanum.

S. II. Hoc nomine diu utor, non ad Veterum asylum ignorantiae, Sympathiam, refugium capio, qui naturalia Phœnix explicare cum mi- nus valerent, per Sympathiam id contingere clamitabant; Quodsi enim ra-

A

tionem

## DISSERTATIO MEDICA

2  
tionem redditurus, cur nephritici vomitu, ascitici dyspnœa laborent, per Sympathiam id contingere dicerem, & in sola hac notione acquiescere vellem, eidem me subjicerem judicio, quod illuſtris Tſchirnhaus in Medicina mentis, & corporis de illis tulit; *Quidquæſo*, inquiens, *discriminis eſt inter ruſicum, qui vocatur, cur acus magnetica ſe potius septentrionēm versus, quam versu aliam mundi plagam vertat, candide ſuam ignorantiam fateatur, & inter italem Philoſophum, qui proſiterur, id per Sympathiam aut occultam qualitatem fieri, niſi quod hic fixerit Sympathia aut qualitatum occultarum vocabulum ad ſuam ignorantiam colore quodam induſcendam?* Quin cauſa potius, quantum poſſible, ſint evolvenda, ob quas hic vel ille in corpore notetur conſensus. Eodem igitur mihi jure hoc *συμπαθετικόν* nomine uti poſſe videor, quo actio Sympathetica, Curatio Sympathetica, Medicus Sympatheticus vocatur, quatenus actio per Sympathiam celebratur, Curatio per Sympathiam instituitur, & Medicus medelam morbis per Sympathiam opoponit. Perinde tamen erit, loco hujus Conſpirabilitatis, Conſensus, Symmetria, Harmonia &c. vocabula ſubſtituere; denotant enim iſta talem corporis nostri diſpoſitionem, qua partes legitimam fervantes *κρότον* & texturam toti decus, ornementum, & commoda innumera conciliant, in ſtatu autem p. n. conſtituta alia alii l. eandem l. ſimilem moleſtiam communicaunt. it, qua pars parti in ſubſidium venit, & malum vel tollere vel mitius reddere conatur, & tandem qua corpus l. pars ab alia quavis re affici capax eſt.

§. III. Initio quidem insigne ornementum concedit machinæ humanae exterior figura & justa partium, qua in perfecto homine celebratur, Symmetria. Cum enim cætera animalia terram ſpectent prona, tales homo organorum naſtus eſt fabricam, ut os ſublime gerat, cœlum tueri, & erectos ad ſidera tollere vultus valeat. Imo uſque adeo conſtant in ea deprehenditur partium proportio, ut cognita uilissimæ partis, qualis ungvis eſt, longitudine, de integra hominis ſtatura reliquarumque partium magnitudine judicium ferre Mathematici norint; dum e. g. hominis longitudo, a capite ad calcem 90. ungvium longitudo æquat, eidem menſuræ reſpondet latitudo ſ. ſpatium ab apice unius medii digiti ad apicem alterius expaſti brachiis interceptum, 90. sc. ungvium; it, ſpatium ab apice unius majoris digiti ad apicem alterius, diuariſatis, quam fieri potest, ampliſſime pedibus, interjacens, 90. itidem ungvium; porro longitudo utriusque pedis a pube ad extremitatem calcis menſurando, quorum pēdum

dum longitudo quælibet 45. est unguum, quæ ad invicem additæ 90. unguis producunt. Singula vero partes quot contineant ungues, & quæ ratione mensura earum sit in eunda, disputatio: Ex Ungue Homo, ante 3. Iusta hic loci M. Hempelio præside habita docet. Hujus Symmetriæ ope Chirurgi verticem s. futuræ coronalis & Sagittalis concursum inveniunt, sive ægro carpum propriæ manus dorso narium ad interciliū applicare, & medium digitum super frontem extendere imperent, sive ex manuductione Celsi filum unum ab alterutra aurium media ad alteram per verticem trahant, alterum ab apice nasi ad verticem ducant, & quo loco hac duo fila se ad angulos rectos interfecant, obseruent. Ob hanc proportionis constantiam factum est, ut cum Germanorum quondam Apelles, Albertus Dürer, & Pictor quidam celebris ex membro quodam dato effigiem Crucifixi hic quidem pingere, ille vero sculpere suscepit, adeoque diversa petierint loca, absolutis artificiosissimis hisce operibus, sculptum picto appositum adeo illi exesse responderit, ut nullus artificum quicquam in alterutro desiderare l. carpere potuerit; quam historiam recenset *Svenius Horar. fibris Part. III. § 51. pag. 216.* Quemadmodum & ex eadem partium competentia Pythagoras, teste Plutarcho, collegit: tanto fuisse Herculem corpore excelsiore, quam alias homines, quantum olympicum studium cæteris pari numero fædus anteiret. Ut taceam, longa quibusdam experientia observatum fuisse, nisi labiorumque mensura partium genitalium longitudinem l. amplitudinem in utroque sexu respondere. Tantum vero absit, ut Symmetriam hanc in solos viros cadere pronuntiem, & cum Philosopho lib. IV. gen. anim. cap. 3. & lib. I. cap. 20. totam fæminam aberrationem nature & quandam impotentiam statuam, adeoque earum corpus cum Elsholtzio Anthropom. cap. 24. imperfectius & minus Symmetrum judicem, ut potius eadem partium elegantia & harmonia gaudere elegantiores sexum existimem. Quæ de nævorum harmonia idem Elsholtzius loc. all. tradit, subtilia nimis sunt, quibus impræsentiarum me non implico.

§. IV. Quid de pondere dicam? Eo venatorum sagacitas & experientia evecta est, ut, conspecto in arena l. luto Cervæ vestigio, de ponde re feræ, foctuumque, quos in utero gerit, numero judicium ferre valeant. Ad quorum imitationem annon similis conjectura de hominis pondere industrio Indagatori subnasci possit, sagacioribus decidendum relinquo.

§. V. Sed ad internas corporis partes progredior, earundemque inspirationem hujusque causas investigare sustineo. Quæ de se Galenus

## DISSERTATIO MEDICA

4

Comm. 3. lib. 3. Epid. scribit: τὰς κοινωνίας γένεται τρεῖς, ἢ διὰ γύναιας, ἢ διὰ τῆς κατὰ γένος ἢ ἐγγονῶν δικοῖλησις i. e. Consortia fieri tribus modis, aut propter viciniam, aut propter familiaritatem generis aut operū. Generis familiaritatem seu similitudinem quod attinet, postquam observarunt Galeni asseclæ, ut plurimum ea, quæ ejusdem sunt naturæ, similia agere & pati, loco solidarum rationum quamplurimas adhibent inductiones. Cum cerebro nervos generis similitudinem participare dicunt, hinc eo graveri affecto, horum insimul actiones modo imminui, modo depravari, modo aboleri. Ab unius nervi punctura reliquos in consensum trahi, & totum quandoque corpus convelli. Ramos minores arteriarum eadem gaudere perhibent generis similitudine ac truncum & ramum majorem; inflammata igitur insigni arteria reliquas omnes intendi, pulsusque evadere durum. Et quæ alia allegant exempla. Quanquam autem non negem, svavem Cerebrum inter & universum Systema nervosum intercedere harmoniam, ita ut uno vexeto vexetur & alterum, nec minus arteria una affecta altera in malo consortium trahatur; nullus tamen haec tenus Medicorum ei incubuit labori, ut demonstraverit, generis similitudinem causam esse vel occasionem, ut nervus nervo, arteria arteria compatiatur. Merito igitur Inductiones a Galeno ipso cap. 5. ad Thrasibulum tanquam ad scientiam generandam inepta rejiciuntur. Non enim possunt singula, quæ sub uno genere comprehenduntur, sensibus vel mente comprehendi, & si comprehendantur, nihil aliud ex in inferre licet, quam quod talia sint, non vero, quæ eorum sit causa efficiens. Rationes autem, quæ ex in deducuntur, inter fallacias referenda sunt non cause ut cause. Imo tantum abest, ut hæc hypothesis rem explicet, ut potius plus quam Cimmeriis tenebris involvat. Si enim generis similitudo pro Sympathiae causa fit agnoscenda, qui fit, ut affecto Cerebro non omnes semper nervi compatiantur, sed modo universalis exsurgat paralysis, modo particularis, modo totum corpus contrahatur, modo una alterave pars convallatur? qui fit, ut pleura inflammata reliqua omnes in toto corpore membranæ non inflammetur? qui fit, ut uno arteriæ ramo aneurismate laborante, reliquus ductus arteriosus non in eandem elevetur molem? qui fit, ut quibusdam venis in varices elatis, totum Systema venosum iisdem non distorqueatur? Ita ut aliquid aliud præter generis similitudinem allegare necesse habeamus, quod e. g. hunc l. illum nervum, licet diversam plane a Cerebro gerat substantiam, afficiat, & cum eo συμπάθεια jubeat.

S. VI. Si-

§. VI. Simili digna censura videtur altera à Galeno allegata causa & quæ sequitur, hypothesis; dum putat, duas pluresve corporis partes unà affici ex eo, quod uni eidemque operi, officio, functioni l. actioni sint praefectæ; Hinc non mirum, affecto diaphragmate muscularum intercostalium actionem laedi, cum utrorumque munus respirationi subserviat; non mirum, mammas gravidarum subito extenuatas abortum antecedere, juxta Hippocratis aphor. 37. scđ. V. & aphor. 52. lac copiose profundentes foetus imbecillitatem sequi; cum enim mammae æque ac uterus factum nutriendi gratia sunt formata, illas impositum sibi à natura munus effugere, hoc de officio suo desistente, ne frustra laborent, lactis copiam insuis receptaculis cumulando, aut retinendo in nutrimentum infantis mox morituri, aut saltem imbecillioris futuri, quam ut tanta egeat lactis quantitate. conf. Bayle Dissert. II. Verum enim vero quis musculis intercostalibus & mammis eam attribuet rationem, ut intelligent, ipsis cum diaphragmate vel utero hanc intercedere officii societatem? Eam ob causam Galenus de Caus. Morb. cap. 6. eos acriter reprehendit, qui de functionibus partium in corpore non aliter differunt, quam si haec intelligentia regerentur, cum deberent earum, quas edunt, operationum causas ex ipsarum natura & structura deducere. Et profecto si huic muneris societati aliqua tribuenda est dignitas, omnes omnino atque singula corporis partes ægrotare deberent, minima earum male affecta, cum omnes uni eidemque officio, hominis sicilicet vitalitati conservanda sint præpositæ. Particula enim, verba sunt Galeni Comment. in Hippocr. de Aliment. ad actionem organi, corporis omnes partes ad unum opus h. e. ad vivendum consentient.

§. VII. Majorem igitur meretur applausum Galenus, quod dixerit, viciniam, quæ inter partem & partem intercedit, sè penumero causam existere, ut una alteram in molestia consortium trahat. Num detur actio in distans, qua corpus unum in alterum remotum medio non affecto agit, ligantur Philosophi, dari autem inter corpora sibi invicem adjacentia & vicina ejusmodi actionem & reactionem nemo dubitat. Quoniamflammam quandoque per ventum ad dissitas satis domos ferri easque consumere videntur, non miramur, simili miseria illas capi, quarum proximus ardet Ucagemon. Hinc in corpore humano per viciniam deglutitio laeditur inflammati tonsillis, per viciniam respiratio depravatur ob diaphragma ab hepate mole aucto, ventriculo nimis repleto, sero asciticorum extravasato compressum; per viciniam ventriculus diaphragma in motum convulsivum,

quem singultum vocamus, compellit; per viciniam uterus m̄jorem continens foetum motus impotentiam & urinæ incontinentiam infert; per viciniam vesica urinæ & intestinum rectum fæcibus distenta partem reddunt difficultiorem. Quo commode referre licet continuatatem partium, qua mediante e. g. Cancer, gangræna, sphacelus &c. n̄ embrum aliquod occupantes latius serpunt, & proxime adstantes fibras similiter corrumpunt. Sive continuitas hæc sit naturalis, prout ex modo allegatis exemplis constat, sive p. n. dum sc. phthisicorum pulmones thoracis concamerationi undique accrescent, atque exulcerationem hoc modo iisdem communicant; quemadmodum Trajecti ad Rhenum ante hos 3. annos musculos phthisici intercostales pure non solum foetos, sed vertebrae pariter atque costas cariosas conspexi; & hæc dum scribo, phthisica curam gero, cuius pulmones sensim magis magisque exulceratione corrupti pus per os ejiciunt, & musculi intercostales arrosi per mammam dextram variis foraminibus pertusam materiam purulentam copiose evomunt.

§. VIII. Huic addo, quæ primo loco erat nominanda vasorum communitas; quemadmodum enim ista eum in finem sunt formata, ut fluida, quæ vehunt, vel ad partes deponant, vel a partibus revehant, vel e corpore eliminant; ita innumera toti imminent pericula, si ista suo munere non rite præsent.

§. IX. Quæ ut clariora reddantur, hæc vasorum communicatio ex Anatomicis breviter demonstranda, atque exemplis illustranda est. Vide-licet cibus atque potus ore assumptus per œsophagum ad ventriculum descendunt, ad ductum rum intestinalem provolvuntur, & digestione perracta in duas partes secundunt, crassiores sc. & faculentas per anus ejiciendas, & fluidiores ad vasa lactea & cisternam chyli deponendas; atque mediante ductu thoracio in subclavia sinistra sanguini admiscendas. Sanguis hic chylosus ductum venæ hujus sequens cordi infunditur; hocque punctum illud est, a quo sanguis prodit, & ad quod ab ultimis corporis extremitatibus revertitur. Duplex autem est circulus, quem sanguis describit, alter a corde ad pulmones & ab his ad cor; alter a corde ad totum corpus, omnesque ejus partes, & ab his ad cor absolvitur. Truncus sc. arteria major ex corde prorumpens in ramos, rami in ramisculos, hi in vasa capillaria desinunt, atque sanguinem partibus nutritionis gratia concedunt, qui quid igitur superfuum, aut illis nutriendis minus idoneum est, resorbent a vasis minimis, seu capillaribus partim venarum in majores semper ramos excre-scentium,

scientium, rubicundam potissimum ejus portionem immediate in cor refundentium, partim vasorum lymphaticorum, aquas particulas vel ad cyster-  
nam chyli & ductum thoracicum vel venas in supra corporis regione  
constitutas revehentium. Dum igitur Massa sanguinea hoc modo per partes  
discurrit, varios ex suo sanguine liquores dimittit, qui peculiaribus vasis conclu-  
duntur & modo sanguini reaffunduntur; ut saliva, humiditas ventriculi &  
intestinorum, bilis & succus pancreaticus, modo e corpore eliminantur, ut  
lac, semen, urina, sudores &c. sic pariter in Cerebro ex eadem massa sanguinea  
per arterias Carotides & vertebrales eo propulsâ segregatur fluidum  
quoddam subtilissimum, Spiritus animales dictum, quod intra nervos hinc  
inde fluctuat, ac motum & sensum præstat. Per asperam arteriam denique,  
cujus rami bronchia dicti in pulmones desinunt, aeris quædam portio  
Sanguini admiscetur. Ut taceam vasa, quæ diversis partibus propria sunt,  
ut ductum hepaticum, cysticum, choledochum hepati & folliculo felleo &c.  
quæ quemadmodum frustra facta non sunt, ita si munere suo fungi rite pro-  
hibeantur, diversis partibus noxiam inferunt.

§. X. His positis, quilibet sibi concipere poterit, qua ratione fiat, ut  
quæcumque in os ingerimus, modo per alvum reddantur, modo ex vesica  
urinaria expellantur, modo partibus assimilentur &c. Operæ pretium omnino  
esset, hæc specialius deducere; verum quoniam in nimiam molem ex-  
resceret disputatione, sufficiet forsan statum p. n. circa vasa examinasse, &  
speciminis loco quosdam morbos allegasse, atque demonstrasse, qua ratione  
Symptomata inter se connectantur, i. e. quomodo pars cum parte mediante  
vasorum communione inter se consentiat.

§. XI. Et primo quidem si æsophagus male se habeat, atque deglu-  
tio penitus aboleatur, ita ut nihil cibi potusve ad ventriculum transmitta-  
tur, macies & mors sequitur, quatenus nullus chylus in stomacho elaborari,  
inde nec ad vasa lactea & sanguifera propelli, nec partibus assimilari potest;  
nutritione enim deficiente, moritur homo. Eadem connexioni debetur,  
si ventriculus, in quo primum chylificatio suum nanciscitur principium, de  
suo desistat officio, atque corpus non rite nutritur; primæ enim digestio-  
nis vitia secunda, multo minus tertia, corriger non satagit; & qualis chy-  
lus, talis sanguis, talisque totius corporis notatur constitutio. Intestinorum  
cum ventriculo & œsophago communionem morbus potissimum declarat,  
quem Ileum vel Miserere mei vocant Medici; Quodsi enim fæcibus per  
intestina inferiora vel coalita vel compressa vel convoluta exitus denegatur,

ructus

ructus fontentes ad os adscendent, & excrementa sursum versus moventur, & ejiciuntur. Quo major porro ex *vasis lacteis*, elaboratum inventriculo & intestinis chylum promte admittentibus, ad totum corpus nutrientium & conservandum, ut diximus, redundat utilitas, eo deplorabilis magis observatur integræ machinæ conditio, si vasa hæc muco quodam crasso lento-que obstructa, vel cicatricibus clausa fuerint; quid enim aliud, quam atrophia & tabes expectandum?

S. XII. Non prolixus ero in determinandis noxis, quæ vel toti vel partibus ex *vasorum Sanguineorum* communione inducuntur. Quodsi enim nimia sanguinis quantitas sub plethora titulo vasa repleat atque distendat, facili negotio extravasationes & exinde inflammations ac hæmorrhagiae enormes quovis in loco oriuntur; si vero deficiat idem, lassitudines sequuntur, & nutritionis defectus; si crosis & mixtura ejusdem sit vitiata, tot foedos habitus colores, Icterum, Chlorofisin, & varia exanthemata exsurgere quis non videt? si denique motu citatiore vasa sua decurrat idem, tot febrium agmina originēducere in propatulo est. Notandum hic obitere est error vulgi pariter atque Chirurgorum, qui vano ac superstitione conatu venas perforandas feligunt, dum e.g. modo venam cephalicā, modo basilicam, modo medianam ad diversos diversarū partium morbos tollendos pertundunt, quasi cephalica majorem nexum atque Sympathiam cum capite, alia cum hepate &c. haberet, cum tamen omnes isti rami ab uno eodemque trunco venæ axillaris originem suam trahant; cujus ramus quisvis pertusus & capiti & hepati & alii cuivis parti laboranti atque V. S. indicanti opitulari potest; atque consultius sit, via maxime tutâ incedere, atque semper cephalicam, nisi partium conformatio obsit, secare, siquidem sub mediana musculi bicipitis tendo, & sub basilica arteria & nervus latitat, quæ pertusa enormia Symptomata atque mortem ipsam accelerare valent. Si quis tamen venarum secundarum selectus sit habendus, is in Venæctione revulsoria & derivatoria locum invenit; Ultræque enim quemadmodum in eo differunt, quod illa in remotiore, hæc in propinquiore seu viciniori tantum fiat loco, ita in eo convenient, quod alias sanguini arterioso motus determinacionem addant, quo scilicet hic in partem affectam continuo & æquabili motu non feratur. Hoc insuper addendum, quod Perraltius *Essais de Physique Tom. I, Part. II. p. 201.* Sympathiam & conspirationem mutuam corporum viventium, qua hæc ab inanimatis distinguuntur, & singulæ partes in suo Esse conservantur, per commercium, quod Cor inter & reliquias partes inter-

intercedit, & Sanguinis circulationem supponit, deducat; nec ab illorum sicut partibus, qui cor Soli comparant, ita ut, quemadmodum sicut hoc influentias suas cum tellure communicat, nihil vero ab hoc recipit, ita cor per totum corpus animalis calorem vivificum æqualiter distribuat, scaturiginis in se, ad quam tamen nihil observatur refluxe; quin potius supponat, sanguinas partes aliquid addere sanguini, ex quo ille demum suam nanciscatur perfectionem; sanguinemque toties, antequam partibus assimiletur, haut secus se habere existimet, quam monetam, quæ aliquoties supra typum ponit & comprimi debet, antequam nitidam perfectam & debitam fortiatur figuram.

§. XIII. Cum etiam ampla fere sit *Lymphaticorum vasorum* sphæra, ac sanguineorum, facile intellectu est, partes & viscera corporis nostri communibus exposita esse injuriis. Quod si enim in toto habitu æqualiter flagnet lympha, Leucophlegmatiam infert, si vero extra vasā prorumpat, in capite hydrocephalum, in thorace & pericardio hydropem, in abdomen ascitidem parit; unde corpus totum exsiccum & aridum reddi ac in circulum velut malo revertente digestiones in primis viis peragendas, ob lymphæ defecatum, labefactari, atque sic humoribus blando rore non amplius temperatis delinitisque ad marcorem hecticum corpus pedetentim disponi necesse est, errore hoc in principio levi, in fine redditio longe gravissimo. Lympha porro existente viscida, acida, acuti, scorbuticum miasma totum fere corpus vario modo afficiens vires acquirit, obstrunctiones oriuntur, & materia concrescit modo gypsea, ut in ranula sub lingua, modo lapidea, quemadmodum *Regenierus de Graeff* ductum pancreaticum a calculo obfessum vidit; Et huc omnes defluxiones acres sunt referenda, que potissimum in capite infinitis fere glandulis & vasis lymphaticis turgente, auræque inclemotori exposito se manifestant; ita ut acris hæc lympha ex naribus & oculis copiosus profluens vicinas partes haud raro erodat. Sie igitur ab hac vel alia causa lymphæ motus in corpore augeatur, non mirum, quod oculi quandoque sub *magdæ* nomine, os sub ptyalismi titulo, mentula virilis sub gonorrhœa notæ nomenclatura, genitalia muliebria sub floris albi notio-ne copiosius eum evomant. In specie saliva si plane non ex ductibus suis excernatur, vel excreta copiosius in ptyalismi affectu extra os ejicitur, lingua fauciisque ariditas subsequitur, fitis nimia ægrum vexat, appetitus prosteratur, chylificatio succumbit, immo alvus retinetur pertinacius, quem ultimum casum aliquoties, cum Amstelodami Præxeos rudimenta poneret,

in ægrotis ptyalismo laborantibus observavi; ex voto autem alvus, nullo adhibito remedio, iterum respondebat, quando ægri iussu meo deglutiebant Salivam. Simile chylificationi obstaculum, toti quandoque corpori exitiale, objicitur, ubi humor gastricus legitimo modo non separatur. Quid de lympha intestinali dicam? nemo, credo, negabit, fæces alvinas juxta naturæ institutum excretum iri, si glandulæ primita primis ipsis viis ratione suum concedant; sed ponas, nihil omnino hujus fluidi ad canalem depluere? annon fæces indurabuntur? alvus seignior evadet? in aliis corporis partibus eo copiosius deponetur serum, & in ore ptyalisinos, in Capite Cephalalgias, in thorace tufles & dyspepsias excitabit?

§. XIV. *Bilis* cum ad Chyli separationem & distributionem suam, tribuat symbolum, magnas concitat molestias, si tam quantitate, quam qualitate peccet; Imprimis vero si plane non secernatur, vel secreta per ductus calculo &c. obstructos ad duodenum pertingere non possit, intestina fæces legitimo modo non excernent, quinimo omnis bilis ad Massam sanguineam regurgitabit, cum ea ad partes properabit, & non solum solidas, ut cutem, tunicam sclerotican oculi &c. verum etiam fluidas, ut salivam & urinam, colore p. n. sub lacte afflita tinget. Febris lactea puerperas vexat, dum uberior *Lactis* proventus ad mammas urgetur; Nec mirum. Lactis enim materia, qua per uterum ad foetum pro nutrimento haec tenus derivabatur, nunc sub vasorum clausura Uterique contractura ad massam sanguineam regurgitat, in eaque motus hujus febrilis occasionem suppeditat. Quibus lac abundat, dolorem sentiunt in regione spinæ dorsi, quoniam ibi loci vasa reperiuntur, qua ad mammam deferre debent novum lactis proventum ob repletas ubique vias jam quasi stagnantem. Eadem lactis exuperantia & spontanea effusio, ut & continuata per longum tempus lactatio in causa pariter est, quod mulieres marcore corripit, debilesque observentur, absuntis & eliminatis hoc modo a massa sanguinea, quas ad partes deponere debebat hæc, particulis nutritiis. Vasa spermatica cum sanguineis continuari, si quis consideraverit, non mirabitur, languorem, totiusque debilitatem, imo quandoque maciem insequi nimiam *seminis* profusionem, genitura enim dum excernitur, Spiritus genitalis semper aliquid secum vehit, & semel excreta novo subinde supplemento ex massa Sanguinea resarcitur, sicque corpus succo suo rorido, chylo nutritio & Spiritu animali defraudatur.

§. XV. Circa vasa Urinam secernentia & excernentia notandum;  
magnam

magnam Symptomatum seriem corpori imminere, hæc si rite se non habent. Ponas, nullam Urinam per Ureteres ad vesicam transmitti, serum Urinarium, in rebus plus minus alteratum, ad massam langvineam regurgitabit, ex hac ad partes solidas varie transponetur; ac transcolabitur, & sanguis ipse, aliquæ humores diversas alterationes & immutaciones subibuntur. Hinc angustiae & anxieties præcordiorum ægros vexabunt; halitus atque sudor erunt fœtidi, urinosi, facultates animales torpebunt; non raro epileptica pathemata, imo tumores pedum cedematosi & ascites oriuntur. Nec mirabitur forsitan quispiam, in nimia Urinæ secretione & excretione, ut in diabete, sitim immensam, virium debilitatem, & maciem notari, cum non sero solum, verum etiam succo nutritio & ipsa pinguedine corpus defraudetur.

S. XVI. Aliquam lymphæ partem ex poris habitus externi, tanquam ex totidem ductibus & vasis, per habitum sub sudoris & insensibili transpiration nomine continuo eliminari diximus. Quoniam igitur docente Sanctorio in Medic. Static. seſt. II. ap. bor. 59. tanta fuliginum copia unico die, naturali hoc modo evanescatur, quanta per alvum vix 15. dierum spatio fieret, haud obscurum est intellectu, effluvia hæc vel parcius excreta, vel penitus retenta, in cute varias efflorescentias, stagnationes, obstructions, inflammations, excitare, massæ langvineæ texturam lacerare, & cum subigi & a massa cruxis alibi statim separari minus valeant, ejus turgescentiam & febriles effervescentias producere. Hinc quidam, qui referente Zacto Lufitano lib. IV. Med. Princip. Hist. 4. triduo ab exercitatione abstinebant, i.e. διεπνοὴ promovere negligebant, protinus febrebant. Adeoque varii Medici, ut Sennertus de Febr. lib. I. c. 2. Rofincc. Merb. dignosc. Et cur. Febr. cap. 41. Horstig Exerc. I. quæſt. 8. Primerosius Enchir. Med. Pract. lib. I. cap. 3. πόνωσις, scilicet pororum cutis conſtrictionem inter præcipuas febrium causas retulerunt. Imo fuerunt, qui hanc pro unica motuum febrilium causa agnoverunt, inter quos W. Cockburn of the disempers of Seafaring people Part. I. pag. 27. qui solennia febrium Symptomata ex hoc fonte satis ingeniose deduxit. Quoniam autem una cum particulis excrementiis serum pariter nutritum & spirituosum per has vias ex corpore proscribitur, langor totius necessario exsurgit, si nimium transpiremus; hinc ardente siero corpora nostra communiter minoris observantur roboris, & Hectici ſæpe penitus absque aliis excessivis excretionibus absumuntur & tabescunt. Et ratio quoque exinde patet, cur corpora, quo liberius & largius transpirant, eo umberiori opus habent

beant alimento. Lāgior vero mīti de hac materia differendi alio tempore, de Corpore humano transpirabili actuō, suppetet occasio.

S. XVII. Nervos quod attinet, qui in Cerebro orti ad omnes omnino partes, dimissis ex truncis majoribus & plexibus suis variis ramificationibus, Spiritus animales vehunt, revehuntque, varia, ratione hujus vasorum generis, in corpore nostro celebratur Sympathia. Quemadmodum enim sanguinem inter & fluidum hoc observatur conspiratio, ut ambiguum relinquatur, utrum  $\alpha\mu\alpha\lambda\omega\tau\pi\tau\epsilon\mu\delta\omega\tau\epsilon\sigma$ , an  $\tau\epsilon\mu\delta\omega\tau\epsilon\sigma$  illius gratia peragatur? prout Magnificus Facultatis nostra Decanus in Circulo Anat. Physiol. pro gymn. XX. p. 324 his verbis rem exponit. Hoc sine ulla heftatione affero, inter functiones reliquas, quas vitales vocant, & animalē singularem observarē consensum; ita ut ille sine sensu & motu, hec circa digestiones viscerum & sanguinis motum subsistere nequeant. Alimenta appetitus sensatione quadam stimulati, ea que sine motu nec assimilare, nec digerere natura concessum; hac postquam in chylium & sanguinem mutata & a incrementū purgata, ut corpus totum, sic Cerebrum quoque irrigant, huicque ac functionum animalium opificibus alimentam atque materiam influant, quod quemadmodum sine pusilli cordis fieri haud poterat, ita Spiritus in Cerebro ex sanguine producti huic motores existunt primarii; i. e. redit partibus singulis suum munus actum in orbem, & Spiritus eosdem, quos animalibus functionibus praesse dicimus, ceteris paribus Digestorios, chylificatorios, respiratorios &c., minus absurdē appellare licet; ita haud obscure apparet, quid timendum sit toti corpori, Spiritus animales si non rite secernantur, & distribuantur. Cum enim hi non solum ex principio suo s. Cerebro verius omnes partes, sed & a partibus versus cerebrum per nervos ferantur, & qui huic nervo insisterbant jam, mox per alium influant; Cerebrum cum partibus, partes cum Cerebro, & partes cum partibus  $\sigma\mu\pi\alpha\lambda\omega\chi\epsilon\pi$  posse, juxta ductum nervorum, quis non videt; quoniam sensus atque motus Authores existunt, eis plus minus deficientibus, functionum harum vigor perit, & totius corporis debilitas & ruina sequitur. Si vero penitus non influant, ut in Apoplexia, & paralyssi, sensus motusque ex pers jacet æger, membra laxa propendent, & sphincteres ani ac vesica resolvuntur, ut excrements eorundem sponte prolabantur, imo diutius si perseveret malum, membra atrophia & contabescientia est metuenda. Ad hæc placido & continuo motu Spiritus per nervos influere jussit provida natura; inordinate tamen si moveantur, hujusque motus impressionem in Cerebro accipiant, totum corpus singulaque membra stupendo modo sub-

Epi-

Epilepsia affectu concutuntur ; Sin vero in parte quadam in confusum adi-  
gantur motum, tum hi recurrentes vel ad plexum vel ad Cerebrum, per alias  
nervos eundem inordinatum continuant motum, siveque in aliis partibus per  
consensum convulsiones excitant, id quod ex sequentibus uberioris constabit.

§. XVIII. Tandem circa vasa aërea monendum, quod quemadmo-  
dum eum in finem ista aërem adducunt, ut motus sanguinis servetur sartus  
atque tenuis, ipsiusque *ηράσις* illibata perficit, humores secernendi ad sece-  
dendum in diversis Colatoris melius disponantur, sanguificationis negoti-  
um promoveatur, ac ipsa toti vitalitas concedatur; ita denegato vel impe-  
ditio plus minus aëris per hæc vasa transitu, sanguis hoc motore & exaltato-  
re destitutus, ac a vasis & partibus renitentiam passus in motu suo sistitur, &  
ad coagulationem pronus redditur, secretio humorum vel impeditur, vel  
aboletur, sanguificatione rite non procedit, sed vitalitas perit, i. e. homo mo-  
ritur. Si vero aëris variis miasmatibus imprægnatus humoribus admiscea-  
tur, noxas quamplurimas adfert, de quibus infra.

§. XIX. Ut quibusdam exemplis rem illustrem, Dentitionem primo  
examinabo. Dentes dum erumpunt, vel erumpere tentant, præter pruri-  
tum, dolorem, tumorem, ptyalismum, qui læsa vel maxime vicinæ parti  
obveniunt, observantur non raro tussis, raucedo, asthma, anorexia, aepelia,  
singultus, vomitus, alvi fluxus, catarrhus suffocativus, vigilia nimia, atque  
Epilepsia. Quæ affectuum syndrome facile modo explicabitur: Sci-  
licet quoniam sanguis una cum spiritibus in dentientibus copiosius move-  
tur, ille autem ob dentes undique prementes (unde pruritus & dolor) non  
æquiter feliciter a venis absorbetur & reducitur, (Hinc tument gingivæ) pars  
ejus serofior, quæ ad secundum magis prona est, a glandulis vicinis, du-  
ctibusque salivalibus excipitur, & ad oris cavitatem deponitur. (Hinc pty-  
alismus) Seri hæc portio si acris existat, & ab infantibus, supinis præsertim  
cubantibus, deglutiatitur, non parum fauces & laryngem arrodit, atque  
tussim & raucedinem excitat; sin eadem ad ventriculum deponatur,  
asthma stomachale, anorexiæ, aepelia, singultum & vomitum pro-  
ducendi capax est. Imo si ad intestina devolvatur, una cum sero glan-  
dularum intestinalium ob turgescentiam modo dictam alvi fluxum conci-  
tare valet. Quemadmodum eidem salivali sero vel per laryngem ad pul-  
mones delabenti, vel stagnanti, aut orgasmico majore prædicto vel nimia con-  
densatione & visciditate peccanti catarrhus suffocativus in acceptum est re-  
ferendus. Tandem spiritus animales molestam doloris vel a tumore vel

acrimonia excitatam sensationem per nervulos paris quinti ad dentes abe-  
untes ad sensorium commune deferunt, adeoque vel continuo influendo  
vigiliarum nimiarum, vel impetuose ad partes per alias nervos irruendo,  
motuum convulsivorum, & epilepsiae authores existunt.

§. XX. Circa superiorem corporis regionem de Catarrhis adhuc  
quædam dicenda sunt; Fernelius enim in Pathol. lib. IV. cap. 4. hoc caput  
inter & universas corporis partes supponit commercium, ut cum duplificem  
materiæ catarrhalis locum, intra Cerebri ventriculos alium, alium in exter-  
nis capitis integumentis, intra cutem sc. & cranium vorticis statuat, hanc  
ibidem collectam ad externas corporis partes intra cutem & carnes deferri  
doceat: Verum quoniam nullum humorum motum nisi mediantibus vasis  
contingere posse certum est, huic sententia subscriendum non erit, nisi talis  
vasorum communio fuerit demonstrata. Ut taceam, raro illam seri  
excrementitii intra cranium hujusque integumenta molliora collectionem  
præcedancem in Catarrhis observari; quin potius verosimilior videatur,  
eam a sanguine immediate per arterias ut ad omnes partes, ita ad capitis in-  
tegumenta deponi.

§. XXI. Ex medii ventris affectibus frequentem satis atque funestum  
ut plurimum morbum phthisin examinabo. Symptomata enim, quibus ve-  
xantur ægri isti, sunt tussis pertinax ac diurna, dysponea, contabescientia  
totius, atque febris lenta. Acrimonia enim seri ac puris intra pulmonis lo-  
bos collecti asperam arteriam hujusque ramos continuo vellicans tussis au-  
thor existit; Et quoniam vesiculae pulmonales tabo hoc referata expandere  
nec contrahere se norunt, respirandi difficultatem inducunt, ita ut Suffoca-  
tionis metus haud raro oboriat. Cum vero sanguis juxta circulationis  
Leges nunquam non per affectos pulmones transmet, purulentas semper  
secum devehit particulas, unde mixtura ejus turbatur & febris oritur; omnes  
ex eo secerendi humores, adeoque liquor gastricus corrumpuntur, qui cum  
rite digerere alimenta potens non sit, partes suo defraudantur nutrimento,  
& contabescientia totius ac facies Hippocratica neckssario sequitur.

§. XXII. Stomacho atque Lieni infinitum in viscera & functiones  
esse imperium Helmontius in tract. *Jus duumviratus* demonstravit. Im-  
præsentiarum tales evolvam ægritudines, quæ licet alii parti magis sint pro-  
priae ex stomacho tamen originem ducunt. Sic dantur vertigines, tusses &  
asthma stomachalia. Vertiginem quod attinet, non ad fuligines & va-  
pores ex ventriculo ad caput ascendentibus cum plebe est refugendum, vii o-  
mai-

mniibus contra horum injurias sufficenter munitis, quin contingere posse hunc consensum existimem, si materia e. g. acris vellicans in stomacho stabuletur, hujusque parietes in spasmus concitet, unde contingit, ut Spiritus animales copiose satis per nervos octavi paris ad locum affectum, stomachi potissimum orificio finistrum distributi, hanc sentientes molestiam inordinate & undulatorio modo ad principium nervorum, Cerebrum sc. recurrent atque resiliant, ibique socios suos ad eundem invitent motum & vertiginis incommoda inferant. Tussis vero ex stomachi vitio exsurgit, vel quando parietes hujus male lacessiti diaphragmatis fibras, quas dextrum orificium attingit, pariter commovent, & quos continet hoc, Spiritus ad talem motum p. n. stimulant; vel quando ob eandem vellicationem Spiritus inter octavæ conjugationis nervos constituti ad plexum suum recurrentes eundem motum inordinatum per alios nervos huic infertos e. g. per eos, qui ad organa respirationi dicatae abeunt, continuant, huncque motum convulsivum thoracis excitant. Simili fere se habet modo asthma stomachale; singas enim, infarctam esse materiam crassam, viscidam ac pituitosam, intra ventriculi sinum, haec sane quacunque ratione agitata turgescere & inflari quasi incipiet, adeoque asthmatica Symptomata producet, partim, quia sub inordinata hac ventriculi distensione liber diaphragmatis descensus ad legitimam inspirationem summe necessarius impeditur, partim quia dia phragma modo supra indicato vellicatur, ut ejus convulsio tandem & hinc perversus sub respiratione motus sequatur.

S. XXIII. Quid de liene dicam? Malum Hypochondriacum multifaria, modo pauciora, modo plura comitantur Symptomata, ita ut aliquando LXXX. simul in uno ægroto deprehensa sint. Misc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. obs. 63. hujus autem causam sedemque lienem potissimum accusat, morbumque lienosum die Milz Beschwehrung vocat vulgus. Nullo vero suo merito. Locus enim, quem in hypoch. sinistro monstrant Hypochondriaci, dicentes: *Die Milz sticht mich;* Coli portionem in homine continet, non lienem, qui potius altius aliquantum ad posteriora atque vertebras versus locatur, atque diaphragmati immediate adjacet. Licet autem inflatio, inflammatio, scirrus lienis &c. in hypochondriacorum Cadaveribus se manifestaverint, nullo tamen modo causa sed effectus morbi haæ aberrationes fuisse videntur. Quicquid etiam regerat D. Stahl Disp. de Vena porta Portamalorum pag. 38. ea enim, quibus opinionem hanc defendere satagit, argumenta nihil magis evincunt, quam posse lienem quandoque dolores, in fl. a.

flationes, tumores, durities perpeti, quod non nego; cum probare debuisse, liensem in malo hypochondriaco pro subiecto morbi recte accusari. Illud equidem haud raro contingit, ut vomitus cruentus liensem vitiatum sequatur, vasis brevis uno altero rame et liene simul majori existente, in ventriculum ad calami scriptorii magnitudinem biante; prout testantur Wedelius Exerc. Semiot. Pathol. cap. 36. & Stahlius loc. all. Denique non audiendi sunt Veteres, qui lienis recrementa sub hæmorrhoidum fluxu ex corpore eliminari credebat. Quanquam enim cum Verhayn Corp. Hum. Anat. Tract. II. cap. 10. hæmorrhoidalem internam sæpius ex rame splenico oriri statuam; sanguinis tamen circulationis Leges Veteribus abconditæ per venas non ad partes sed a partibus revelli sanguinem docent; i. e. sanguinem per venas non ad intestina descendere, sed ab his ascendere, postquam scilicet ab arteriæ mesentericæ propaginibus eo fuerat depositus; contradicente quamvis in hoc Aquapendente, de operat. Chir. qui venam hæmorrhoidalem internam nullam arteriam sibi comitem seu adjunctam habere ait.

§ XXIV. Inter Renum vitia calculus commemorandus venit, qui variis se prodit Symptomatis, nausea puta, vomitu, colica, affectione hysterica, cruris stupore atque molesta testiculi retractione; Quibus quandoque Isthuriæ lethales, vigilæ, abortus, epilepsia, lethargus, superveniunt. Quodsi enim lapis inæqualis, variis angulis atque cuspidibus praeditus in rene se mouere incipiat, renis atque ureteres membranae vellicabuntur, & in spasmodum adgentur, hinc Spiritus animales motum inordinatum per nervi sexti paris ramum ad plexum hujus continuantes & ad intestina, ventriculum, uterum, dia phragma, crura & testiculos per alias ramifications delati similem spasmum & motus convulsivos concitatunt, atque colicæ, affectionis hysterica, respirationis difficultioris, abortus, cruris stuporis, atque testiculi retractionis authores existent; Quodsi vero iidem ad nervorum principium eodem inordinato motu ferantur, haud raro contingit, ut vigilæ, motus convulsivi externalium partium atque ipsa epilepsia inde sequantur. Si vero utrique renes usque adeo calculis sint obsecuti, ut nulla penitus Urina in illis secernatur, quid mirum Isthuriæ lethales, & omnium humiditate in Massam Sanguineam retenta, ob Spirituum torporem & inundationem lethargum funestum produci.

§. XXV. Tempus me deficeret atque charta, si Uteri, quem Hippocrates lib. II. de Morb. Mul. πάντας τῶν νωστημάτων στιαν, i. e. omnium morbo-

borum causam, & Democritus in Epistola ad eum, Sexcentarum etumnarum innumerarumque calamitatum Auctorem vocant, Sympathiam, quam cum aliis partibus habet, delineare sustinerem. Habet enim hic suas arterias, suas venas, habet nervos & vasa lymphatica, habet ductus proprios, tubas Fallopianas, ovaria, atque vaginam. Prolixius eam demonstrarunt Senertius Pract. Med. lib. IV. Part. II. sect. III. cap. 3. Bayle Dissert de Sympathia variarum corporis partium cum utero. Fontanus de Morb. Mul. lib. I. cap. I. aliquie.

§. XXVI. Has Sympathias, hos Consensus qui probe trutinaverit, omnium Symptomatum, cuicunque etiam morbo superveniant, connexionem facile inveniet, & causam cognoscet, quomodo dens discissus pariat Epilepsiam, & mortem (vid. Bartholinus Anat. lib. IV. cap. 12.) abscessus hepatis, pancreatis, lienis, mesenterii per vomitum pus exterminate queat. Bonet. Sepulchr. lib. III. sect. 8. obl. 40. ) decoctum Nicotiana cum cerevisia ad abigendam scabiem capiti applicatum vomitus & secessus concitaverit? ( Stiffer. Actor. Laborat. Chymici specim. II. p. 7. ) acus crinalis degluttita ex vesica potuerit excindiri? ( Transact. Angl. Ann. 1700 pag. 455. ) Maniacus haemoptoicus & phthisicus factus fuerit? ( Dodonaeus Obs. Medicin. 10. ) titillatio auris tussim excitet? quod quotidiana experientiae Φαινόμενον est; quomodo fonticuli, vesicatoria, & setacea uni parti applicata toti corpori emolumentum afferant? &c.

§. XXVII. Merito autem hic queritur, qui contingat, ut, cum talis detur vasorum continuitas, & communio, unum alterumve membrum aut viscus solummodo patiatur, non autem reliqua, ad quæ pariter idem vas terminatur? Rem eleganter explicat nobile illud Anglorum par, Ridleus & Willisius. Ille siquidem in Anatomia Cerebri pag. 173. hoc modo differit: *And here also furthermore give me leave to add, by Way of conjecture, that the reason, Way the Soul hath not an equal Command over the nerves, dedicated to the vital and natural Motions, is the early date or commencement of the office of those nerves, by which means they contract an habitual irresistible Influx, much less so in those belonging to the respiratory function, the exercise Whereof is of a later date; and lastly, the influx is not in the least so habitual in those other, subservient to the organical functions of the limbs, inasmuch as they are not capable of being exercised, till a much longer time after, and then not so interrumpedly, as either the first, or the second, but gradually, and which intermissions.* Hujus vero verba in Pathol. Cerebri cap. 4. ita se habent: *In pueris, qui affec-*

fectibus cordis & membrorum exteriorum exercitiis nondum assueverunt, materies spasmatica in nervos proximos, eos scilicet tertii, quinti & sexti paris sanguinis incurrit; quare illis faciei ac oris partes maxime convelluntur; raramque est, & in afflictum iis, viscera & precordia, prout in adultis attolli, motu inordinato affici; Econtra in proiecta etatis hominibus, aditu ad nervos paris vagi & intercostales, uti ad istos spinalis medulla magis patente, partes, quae nervi illi respiciunt, frequentius convelli solent: hoc iam cum discrimine, quod in tenuioribus & iis, qui sunt valde eminendis, quibus ob passiones animi precordia & viscera sanguis perturbantur, materies spasmatica nervorum interiorum ductus apertiores promptius subit; illique propriece spasmis in abdomen & thorace excitatis magis obnoxii redduntur. Et Cordemoy du discernement de Corps & de l'ame magnæ cerebrum inter & stomachum sympathia rationem redditurus dicit, embryonem, dum sentire incipiat, vix alibi, nec ullam hominis tam intra quam extra uteri ergastulum constituti partem prius sentire, quam orificio stomachi; Hinc accidore, ut etiam primum ex Cerebro eo allicantur Spiritus animales, & per iteratam hanc sensationem semita fiat maxime patula, unde levimotu paretur via Spirituum animalium ex cerebro ad stomachum. Quibus tamen Idiosyncrasia est adjungenda, cuius ope inter oculum & digitum annularem puella singularis notatus fuit consensus conf. Act. Med. Hafn. Tom. V. pagi 40.

§. XXIX. Equidem objici mili a quibusdam videor, Consensum partium hastenus allegatum non a vasorum continuitate esse deducendum, sed ab humorum, quos haec vehunt, motu. Sic D. Stabl Disp. de Hemorrhoidum internarum motu cap. 5. haec habet verba: Nihil facilius & latius in distans extenditur, & disseminatur, quam motus; Et totum negotium consensum, si paulo tantum exactius consideretur, semper in motibus fundatum deprebenditur, non vero aequa in communione vasorum, viarum, meatuum. Sed sciant hi, me cum eis maxime consentire. Dum enim Sympathiam, per vasal adstruo, haec non respicio, tanquam corpora solida partibus annexa, quemadmodum funis, si trahatur, trahit pariter & movet corpus, cui alligatur; sed quatenus vasa sunt, i. e. quatenus continent fluidum in se, quod ad diversas corporis partes ducunt, hisque per illud labem communicant. Nihilominus ipsi fatebuntur, omnem consensum non semper a motibus dependere, e. g. eum, quem per continuitatem fieri diximus; dum sc. cranii parte dextra percussa in sinistra resonitus oritur, vel dum moles infantis in uteri ergastulo conclusi urinæ incontinentiam & erurum spasmos Matri concitat.

§. XXIX.

§. XXIX. Sed progredior ulterius, atque illam examinabo Sympathiam in corpore humano, quam natura parti unius alterius affectae subsidium latura excitat. Νέστων Φύσις ἵντερι. i. e. morbis natura medentur; aurea sunt verba Hippocratis. Profecto ut vera fatear, non Medicus sed natura curat morbos; Haec tot crises excitat, atque monstrat, per quas vias materia peccans sit eliminanda, num per alvum, an per urinam, an per sudores, an per vomitum, an per sanguinis fluxum? Hanc igitur sequi, non ducere vel cogere decet ipsius Ministrum, Medicum; quicquid enim hic molitur ducente natura, prospere succedit, contranidente vero natura, frustra sunt, quæcumque propinanturn. Eleganter hanc in rem Sydenham de Morbis acutis sect. I. cap. I. Dicit at ratio, si quid ego hic judico, Morbum, quantumlibet ejus causa humano corpori adversetur, nihil esse aliud, quam natura conamen, materiae morbificæ exterminationem in agri salutem omni ope molientis. Cum enim hominum genus, ita volente supremo rerum omnium arbitrio, ac moderatore DEO, variis impressionibus, forinsecus advenientibus excipiendis aptum naturam sit, fieri non potest, quin idem variis etiam malis fuerit obnoxium: Hisce rerum circumstantiis ita intime essentia humanae intertextis complicatisque, ut nemo quisquam se ab aliis in solidum queat liberare, natura de ejusmodi methodo ac Symptomatum concatenatione sibi prospexit, quibus materiam peccantem atque alienam, que totius fabricæ compaginem alter solveret, e suis finibus possit excludere. Sed ut instantia una alterave jam dictorum veritatem affiramus, ipsa pestis quid, obsecro, aliud est, quam Symptomatum complicatio, quibus uititur natura, ad inspiratas unacum aere particulas pueras prodeas per emuntoria Apostematrum specie vel aliarum eruptionum opera excutiendas? Quid Arbitris nisi Natura providentia ad depurandum Serum sanguinem, atque expurgandum corporis profundum, ut cum Hippocrate loquamus? Duplicit autem modo hoc natura molimen considerari potest, vel, quatenus id, quod uni parti molestum est, quo cunque modo eliminare ex corpore studet, vel quatenus id, quod deficit uni, in altera parte resarcire conatur studiosissime.

§. XXX. Prius Mulieres nos docent, quæ factui concipiendo & gestando a natura destinatae plus humiditatis nutritiæ atque Sanguinis conficiunt, quam conservationi individuali impendi potest; adeoque ne superfluitates haec extra ingravidationis tempus individuo atque toti corpori molestæ evadant, statim tempore sub menstruæ purgationis nomine evacuantur eadem, imo experientia docet quotidiana, viis evacuationi huic destinatae.

tis quoconque modo præternaturaliter se habentibus, ita ut nullus sanguini exitus per eas concedatur, arterias turgentes in quacunque parte, ob individualem conformatiōnem magis comoda, aperiri & per periodos suum contentum dimittere. Sic foetum humanū non per solita sed insueta loca ex ergastulo suo in lucem edi, præ reliquis *Bartholinus Tr. de Insolitis partus vi-*  
*is quamplurima allegat exempla, atque vicinæ jus potissimum observari, so-*  
*lide demonstrat.* Præterea ponas, renes continere calculum multo majo-  
rem, quam qui per angustos Ureteres ad vesicam delabi valeat; nonne vi-  
demus, talem esse Ureteribus dilatandi se aptitudinem, ut commodissime  
lapides quivis majores absque dolore transmittere per cavitatem suam que-  
ant; quale exemplum vidi ante aliquot annos Trajecti ad Rhenum in ne-  
phritici cadavere, cuius Ureteres eum in modum erant dilatati, ut intestini cu-  
jusdam portionem mentirentur, quales nitidissime præparatos etiamnum  
asservat Amicus meus singularis Dominus *D. Leusdenius Medicus Ultrajecti-*  
*nus.* Globuli plumbi saepe in partes immittuntur, qui sine multo dolore  
ac enormis hæmorrhagia metu obstetricante Chirurgi manu extrahi minus  
valent; quotidiana tamen docet experientia, tales globulos post plurimo-  
rum quandoque annorum elapsum in alia remotore parte exitum quære-  
re fibris partium sensim atque sensim ponderosis talismodi corporibus ce-  
dentibus, viamque ad peripheriam sternentibus. Sic post cranii vulnera  
natura fragmenta, qua Chirurgus vi auferre non debet, sponte a toto sepa-  
rat atque protrudit. Sic pus, si in pulmonibus, aut serum, si intra fibrarum  
interstitia hæreat, venæ resorbent & ad massam sanguineam revolvunt, per  
arterias ad renes deducendum & cum Urina excernendum.

§. XXXI. Majori admiratione dignum est, naturam, deficiente  
parte vel functione quadam alia ratione hujus iactura ut resarciantur, maxi-  
me esse sollicitam. Sensus unius objectum ab alterius organo non raro  
discerni ex *Dissertationis mea de Tactu sensuum Externorum Moderatore An-*  
*no 1695. habitæ §. 45. fqq. constat;* quibus pauca addere sufficiet; Præter  
*Dygbeum, qui tract. de Nat. Corp. cap. 28.* Nobilem quendam surdum  
natum & per consequens mutum quoque a sacerdote quodam eosque edo-  
ctum refert, ut & ipse loqui & ab aliis prolata verba oculis percipere potue-  
rit, mihi simile exemplum notare Haerlemi contigit in Mercatoris Haerle-  
mensis, cui Colart nomen, opulentissimi filia unica, Hester vocata, quam a  
nativitate surdam, hinc mutam, loquentem tamen, scribentem, legentem,  
matrisque non clara proferentis verba, sed labia solummodo moventis jus-  
fa

sa exequentem conspexi; instruxerat autem eam D. Joh. Conr. Amman Medicus Amstelodamensis, ex Helvetia ortus, qui similiter in Tractatu, qui *Surdus Loquens* inscribitur, methodum suam exposuit. Præter sensoria posse & alias partes ac membra alterius munia, negente necessitate exequi, homo nos docuit, qui ante aliquot annos spectaculo circumductus nostras pariter visitavit nundinas; Hic enim manibus licet a nativitate destitutus utroque tamen pede atque ore scribere, illis tympana pulsare, chartas lusorias tractare, bombardam exonerare, barbam tondere, acubus fila adaptare &c. potuit. Nec ullum dubium est, quin nobis integros possidentibus sensus atque integra membra similia præstare concessum sit, modo industria atque consuetudo accedit. Adeo enim eadem dispositio partium, & aptitudo agendi, seu conspiratio; Id quod quotidiana non solum confirmat experientia eorum, qui res lœva manu ex Confuetudine æque commode versare norunt, ac alii dextra; verum etiam exemplum Johannis Leodien sis a *Dygbæo loc. cir. cap. 27.* allegatum, qui sylvam per plures annos incolens de esculenti cuiusdam sapore ex odore judicare, naribusque procul percipere potuit, ubinam radices fructusve salubres creſcant. Successu vero temporis inter homines iterum degens negotiis implicatus lautio reque victu nutritus, adeoque hanc odoratus excellentiam non amplius exercens istam naturam sagacitatem penitus amisit. Nec omittenda est singularis naturæ providentia, quam in Embryonum, functiones non æque ac adulti absolvantur, conservatione monstrat. Cum enim per os cibum assumere & aerem ad pulmones admittere minus soleant, benevolia eos natura prospexit venis umbilicalibus, quibus succus nutritius a Matre ad foetum allegatur, canalis venoso, quo sanguis chylous ex vena portæ truncu ad venam cavam depositur, anastomosi ovali, qua sanguis ex vena cava ad venam pulmonalem a digitur, & canali arterioso, quo sanguis ex arteria pulmonali ad nervum immediate protruditur; ut patulos mammarum tubulos succum nutritum fundentes taceam. Quæ tamen conformatio ætati huic peculiaris, postquam in lucem editus foetus omnibus suis rite præesse functionibus coepit, successu temporis obliteratur.

S. XXXII. Diversimode partes corporis inter se conspirare, hanc nus prolixè demonstravi; quoniam autem homo ex anima rationali & corpore constat, merito queritur, num inter hasce partes integrantes aliqua no tetur conspiratio seu Sympathia? Et quis negabit? nonne videmus, corpus animatum & vitale dici, quamdiu ipsi anima unita manet; ea vero absente

mortuum esse, & instar trunci nec se movere, nec quicquam agere posse? Nonne constat, eos, quibus conjugem in thalamum adscendendi spes est, res suas parum considerate peragere, & ad quæsita sepe minus conformiter respondere, quoniam continuo de amaria cogitant, ipsius pulchritudinem mirantur, amplexum reminiscuntur, mellitos verborum globulos & omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa mente repetunt, ruminantque. Hinc salubre est consilium, quod diatetics Scriptores suppetunt, ut scilicet inter cibandum vel statim post pastum a lectione vel meditatione rerum ponderosarum abstineamus, ne spiritibus animalibus menti vacantibus & a ventriculo revocatis chylificatio turbetur. Scilicet anima actionibus & functionibus est praeposta, præsens igitur sit illa, i. e. aliorum cogitationes non dirigat, necesse est, succedere si debeant nostri labores.

§. XXXIII. Merito hic imaginationis ejusque virium facio mentionem, de qua belle *Fienus de Virib. Imaginat. conclus. 23.* Qui imaginatur Venerem, ei coles excitatur, & spiritus moventur versus genitalia, tanquam ad instrumentum actionis, de qua est imaginatio. Qui imaginatur cibum aliquem lautum, ei saliva ad os movetur, & ad palatum, quod est instrumentum gustus. Cum cogitamus de mingendo, vel videmus alios mingentes, aut egerentes, mihiurimus aut cacaturimus. Cum videmus alios comedentes, aut de cibo cogitamus, incipiimus famere. Sic ex imaginatione morbos induci & curari, quilibet novit, mortem exin accelerari posse exempta docent ap. Marcell. Donat. Hist. Med. Mirab. lib. II, cap. 1. Weinrich. de Orru Monstr. cap. 17. Sennert. de Conf. & Diffens. Galen. & Chym. cap. 14. Hoc tamen in corpus jus phantasia non per se est concessum, quatenus illa in Objecti cuiusdam representatione consilit, sed per accidens, i. e. phantasia, quando objectum gratum vel ingratum cognovit, appetitum ad ejus sive persecutionem, seu fugam stimulat, hinc humores atque spiritus moventur, quorum accessus vel recessus, fluxus vel refluxus mutationes illas fert. Confidentialia, quam ægri in Medici dexteritatem & peritiam habent, optime rem declarat. Hec enim, prout Sennertus loc. all. rem exponit, reddit agrum medicis preceptis & consiliis obsequenter; præcipue vero quia imaginatio aliquos animi affectus inducit, per quos humores & spiritus moventur, qui moti ad morbum vincendum vel debellandum faciunt. Ita confidentialia in animo ægrigenit letitiam, letitia autem excitat calorem nativum, & spiritus; unde fit, ut Cibis rectius coquantur, humores vitiosi vincantur, & morbus expugnetur. Hinc rustici, (inquit Barthol. de Paralyt. Nov. Test. pag. 42.) nonraro schedulis devoratis

ratis curantur, quod propriis observationibus probant Solenander Secū. V.  
conf. 15. §. 17. Job. Helwig. Obs. Med. 86. Schræckius Schol. in Eand. Deufini-  
gius in Exam. Pulv. Sympath. pag. 65.

§. XXXIV. Refero huc animi affectus, qui modo a corpore in mentem, modo a mente in corpus traducuntur; Perceptiones enim illæ excitantur, interdum in mente per corpus, quando (ut verbis utar Beate defuncti Orlo-  
bii Oecon. Anim. Diff. XXXIII. §. 6.) nimis pro diversis Spiritum motibus,  
qui nobis objecta diversimode representant, varia in mente cogitationes oriuntur.  
Sic e. g. in exactis letitiam, in agrotis, & hypochondriacis præfertim, tristi-  
tiam deprehendimus, non ex causa alia, quam corporis pendentes, quod pro illius  
habitudine diversi illi affectus emergant, & ea mutata emendentur. Vice vero  
versa a mente affectus traducuntur in corpus, quando sc. pro diversis, quibus mens  
nostra agitur motibus, corpus quoque afficitur, i. e. variis motus in eo excita-  
ri amant. Nimis hinc est, quod nullis vice molestis turbati integra etiam  
valetudine ceteris paribus gaudeant, ac egritudines & mares ex ingente bo-  
norum jactura enormes valetudinem nostram quoque ledant. Morbis profili-  
gandis affectus inservire, ira docet, quam restituisse paralyticu motum Valle-  
riola lib. II. obs. 4. muto loquelam Barthol. Aet. Med. Haffn. Vol. I. obs. 81. gau-  
dium item, quod arthriticum sanasse Hildanus Cent. I. obs. 79 testatur. Con-  
tra vehementiorum animi affectuum effectum tristiores suggest apoplexia  
frequens ex ira, & terrore. vid. Loffius lib. I. obs. 14. sic iram puerperis noxiā  
Tulpius lib. II. obs. 18. & 20. deprehendit. Imo alios affectus mortem exce-  
pisce Disputatio superiori anno apud nos habita satis confirmat. Prolixius  
hac de re agere non opus videtur, cum de Unionis & Communionis Natura  
& Effectibus, que corpus inter & animam intercedit, prolixius egerit Domi-  
nus Hoffkunz, nunc Superintendens Torgaviensis in dissertatione ante  
hos 26. annos hic loci habita.

§. XXXV. Hæc satis dicta sunt de Sympathia, quæ in proprio cor-  
pore celebratur; Pergimus ad eam, quæ corpori humano cum reliquis Cre-  
aturis intercedit. Et ut speciem, cuius individua se invicem afficer capa-  
cia sunt, primum attingam, conspiratio illa ante omnia commemoranda  
venit, quæ matrem inter & embryonem intercedit.

§. XXXVI. Postquam enim ovulum imprægnatum ex testiculis  
muliebris per tubam Fallopianam ad Uterum fuit delatum, eidem firmius  
mediante placenta Uterina connectitur, & per venulas umbilicales aliosque  
canaliculos cæcos nutrimentum suum per novem continuos menses haurit;  
hinc

hinc non mirum, succum hunc nutritium prava quadam imbutum qualitate eandem foetui communicare; dum sc. gravida, cui crocus erat propinatus, infantem croceo colore tinctum peperit. vid. *Amatus Lusitanus*, & aurignosa foetum ictero imbuīt, vid. *Bierling Thes. Theor. Praet. obs. 89.* variolosa, morbillosa & lue venerea laborans foetum his morbis corruptum enixa est. vid. *Hildanus Obs. Chir. ss. & 56. Cent. IV. & Rhodius Cent. III. obs. 83.* Spectat huc jus hereditatis, quo sani parentes ut plurimum sanos, morbos valetudinarios generant, quatenus parentum robustiorum semen laudabile firmam corporis texturam, & actionum cunctarum vigorem proli inducit, & v.g. longævus longævum, nephriticus nephriticum generat. Hinc observamus familias, quarum alia peculiarem corporis agilitatem, & formositatem, alia morbos sibi ita vendicant, ut omnes vel plerique ex hac stirpe satiillis laborent. Non autem humores & Spiritus tantum Nati hoc modo afficiuntur, quemadmodum sangvineos, scorbuticos, lue venerea affectos, sensuum acumine præditos & stupidos similem sibi prolem alere constat; sed partes quoque solidæ, dum proceros a proceris, pusiones a fusionibus, gibbosos a gibbosis, claudos a claudis produci palam est, imo eodem ætatis aut annorum circuitu, quo parentes valetudinis rationem mutarunt, Naturum ex hereditate simile quid pati posse, evincit singulare exemplum *Borelli Cent. I. obs. 7.* de Parente quodam, cuius genu anno ætatis 15. istu luxatum fuerat, qui per totum vitæ cursum hinc claudus factus ex uxore duos suscepit filios, rectos & bene usque ad annum 15. conformatos; quo tamen elapsa sponte sua corundem genuum ossa pariter dislocata fuerunt; probabilitate satis, vitio parentum hereditario usque ad hoc tempus latitante, postmodum vero prorumpente. Nec impossibile est, posse morbos avorum in nepotes intacta intermedia sobole propagari, pro diversa scilicet utrorumque textura partium, temperamento, & rerum n. n. regimine. Sed quid de Nævis atque figuris infantum à Matrum imaginatione ortis dicam? Si de signis indeterminatis sermo tantum esset, facilis prostaret ratio; Quod si enim mater à lupo territa pallidum edat infantem, vel si gladio aut fuste percussa prolem mortuam gignat, phantasæ viribus hoc est adscribendum, quæ eodem modo corpus alienum, quo proprium afficit; Turbat enim hoc appetitum, & affectus, humores & Spiritus alterat, quæ alteratio ad foetum propagatur. Sin vero de Signaturis & Notis determinatis ratio sit exhibenda, dum e. g. cerasa, mora, fraga a Matre desiderata vel solo color & macula aliqua rubicunda vel producta aliqua substantia carnæ, rotunda,

da, colorata in foetu notantur; hæret aqua; & quid mirum? hæsit enim hic etiam viris magnis & eruditioribus. Sane a confusa humorum ac spirituum accessione vel recessione certæ illæ notæ, certam habentes figuram, certam quantitatem, certum colorem, certumque situm formari neutiquam possunt; quaenam enim a glire terretur mater, gliris, quæ ab alio animali, aliæ foetu imagine signat. Huc spectat Historia, quam à Clarissimo D. Wolfen Prætico Quedlinburgensi per epistolam nuper accepi: Mulier, scribit, in pago Neuenstadt ab urbe Quedlinburgo prope distans, grida fit, eoque tempore templum visitans attente semper contemplatur angeli figuram, ligno excisam; præerlapsis IX. mensibus parit pueram, opime experimentem facie diti angelis faciem, ita ut a quovis similitudo facile agnosciri possit. Horum Phænomena rationem redditurus Sperlingius de format. fæt. perhibet: Res omnis in specierum consiftit communicatione, ita quidem, ut species a phantasie perceptæ matris sanguini & Spiritibus communicentur, post foetus sanguini & Spiritibus imprimantur, & ibi juxta exemplaris formaricem ad hoc & non aliud formandum dirigant ac imprimant. Sed æque obscura res manet, cum quare species istæ, harumque communicatio concipi rite possit, non adeo in propatulo sit. Non autem gestationis solum tempore eam Matris phantasie esse vim, verum etiam conceptionis, testantur foeminae, quæ concubentes elegantes ante oculos ponunt picturas, ut liberorum pulcritudo promoveatur; vid. Krebs de Ligno & Lapide Part. I. class. 2. Stengel. de Monstris cap. V. §. 9. Sic nota est Historia Reginæ, quæ æthiopem peperit, cum & ipsa & Maritus candidi essent, ob depictam in lectuli parte superiori similem figuram; scilicet canente Thoma Moro:

Atqui graves tradunt Sophi:  
 Quodcunque Matres interim  
 Imaginantur fortiter,  
 Dum liberis dant operam;  
 Ejus latenter & notas  
 Certas & indebiles

Modoque inexplicabili  
 In semen ipsum congeri;  
 Quibus receptis intime  
 Simulque concrecentibus  
 A Mente Matris instam  
 Natus refert imaginem.

§. XXXVII. Ex utero egressus eandem cum Matre continuat conspirationem, cui in matrice jam assueta fuit infans, sc. eo humore, qui in Matris nutrimentum facessere debebat, ore haurit hic ex mammis turgentibus. In MSis paternis sequentia invenio annotata: Ipse met experius sum; matrem aliquando infantem lactantem, cum absens esset, & infans ejularet

cupidine lactis, in mammis dolorem sensisse & dixisse: Certe scio, quod meus  
 jam infans ejulet, & hec dicentem ancilla ad infantem avocat: asseveravit vero,  
 se percipere in mammis compressionem quandam, quasi manu comprimeretur.  
 Phænomeni veritatem Parentis dexteritatibus confisus in dubium non voco.  
 Num autem vera hæc dicenda sit sympathia, i. e. num in mamma Matris do-  
 loris sensus ex eo oriatur, quod infans ejulet, ambigo; Primo enim simile  
 Φανόμενον in aliis Matribus (non dicam Nutricibus Conductitiis) prolem  
 lactantibus non observatur; Dein connexio nulla apparet, quia ejulatus in-  
 fantis potum desiderantis mammam, non autem ipsam Matrem vel aliam  
 ejus corporis partem afficiat. Dicam quid sentiam; suppono (1.) tubulos  
 Matris lacteos & mammas, dum foetum lactat hæc, subsidere, & contento  
 suo aliquatenus privari, iteratis autem sanguinis circulationibus post ali-  
 mentum assutum novum lactis proventum recipere, (2.) certis diei horis  
 Matrem, ut fieri solet, ubera lactanti fugenda præbuuisse. Fieri ergo potuit,  
 ut lacte turgidae mamma talè compressionis sensum percesserent, quem-  
 admodum vesica Urinaria urina turgidae comprimi videtur, et sc. hora,  
 qua foetum alias lactare solebat, eodemque pariter tempore foetus ex con-  
 fuetudine & appetitu naturali potum desideraverit. Celebranda potius ve-  
 nit illa Sympathia, quam Græci συγγῆς vocabulo exprimunt, dum sc. Pa-  
 rentes Liberos & vicissim illos mutuo amore complectuntur; Depende-  
 autem ista a congenita partim propensione, partim per Consuetu-  
 dum natis inculcatur; ita ut rarum sit & inauditum exemplum,  
 cuius Jonſohn Thaumatogr. Curios. pag. 473. meminit, de Patre, qui  
 filium legitimum non aliter abhorrebat, quam feles cæteri. Num vero  
 hæc Sympathia in distans quoque operetur, quaſtio exurgit: affirmare hoc  
 videntur exempla Matrum, quæ inter conjuncta & suavia alias consortia ani-  
 morum tamen ad voluptatem componere nesciunt; domum vero reversæ &  
 de valetudine infantis adversa commonefactæ dicunt: Es schwalyhte mir,  
 das Herz war mir schwer. Verum cum ſæpe tale quid contingat infantib-  
 us Matribus absentibus bene ſe habentibus, & vicissim Matres ſæpe, hypo-  
 chondriacæ e. g. de tali præcordiorum angustia conquerantur, rebus tamen  
 domesticis bene constitutis, inter compositionis & divisionis fallacias hoc  
 ipsum referendum esse apparet. Naturæ tamen Leges transgredi videtur  
 ista Sympathia, quam de ſe testatur Cardanus de Libris propri. pag. m. 98. his  
 verbis: Cum illi (filius) crimen in carcere fateretur, ſi modo crimen erat, voluisse  
 nec occidiſſe adulteram cuius ego ne conciūm quidem eſſe rebar, nonne convulſo  
 mīki corde, lacerato, disrupto que exclamavi: Heu quoniam filius meus hac hora  
 fateretur.

faletur, se veneno sustulisse uxorem, consciusque est ejus, de quo accusatur; ob id que capite punietur? neque enim ego neveram, quam causam habuissent conatus tam stulti atque irriti, ut vel judicio meo tum damnaretur.

§. XXXIX. Ab hac ad eam sympathiam ordo nos ducit, quæ inter reliquos homines notatur, sive cognitionis vinculo ii sint conjuncti, ut fratres, consanguinei, sive minus.

§. XXXIX. Posse duos fratres iisdem morbis tentari hæreditariis potissimum, eodemque mortis genere obire, extra dubium est; cum iisdem Parentibus sati, eandem corporis texturam, eodemque morborum fomites gerere possint. Sic Gaffarellus in *Curiositat.* Inaudir. cap. 7. §. 7. refert. *Nostro tempore Rictii, Provincia Urbe Episcopali observatum est, ubi, cum gemini fratres sibi persimiles essent, neuter eorum laborabat, quin alterum subito similis morbus corriperet, aut si alteruter forte letaretur, aut tristitia afficeretur, alterum protinus idem affectus occuparet.* Sed de hoc sermo hic non est. Quæritur potius, num uno fratre morbo quodam laborante, alter eodem ex Sympathia jure afficiatur? Prostant enim exempla, quod fratre uno variolis inquinato, alter in alia regione degens iisdem fuerit tentatus. Causa tamen non a Sympathia Legibus videturducenda. Contingere enim potuit, ut duo fratres eodem temperamento prædicti eosdem ad morbos hæreditarios, quales Variola sunt, fomites foverint, qui eodem tempore a causa procatare cœta ut aeris constitutione, diæta ratione, excitati vires in corpus exercere, & in utroque eundem morbum concitare potuerunt; Spectat huc exemplum duorum fratrum, uno partu, unoque die natorum, uno defunctorum, uno sanctis adscriptorum, in quorum laudem *Simon Marolus Episcopus Vulturienensis* sequens conscripti cämen:

*Una dies peperit, mitram dedit altera, Mortem  
Altera, & in Sanctos lectus uterque fuit.*

*Felices Fratres, quorum communis Origo,*

*Vita, Corona, obitus, Gloria, Festa dies.*

*Quin communis erat mens & cor, dicite, sed vos  
Corde uno possint corpora bina regi?*

§. XL. Nec inter Consanguineos peculiaris notatur Sympathia vel Antipathia. *Riedlinus lin. Med. Ann. 1697. pag. 259.* mulieris mentionem facit, quæ per 10. fere annos Melancholia & Sudoribus Hæticam minantibus laboravit, frustra propinatis remediis, retulit tandem, se, ut alia nefanda præternitam sclera, cum patruo suo aliquoties rem habuisse, & ex hac

furtiva Venere concepisse, hincque putavit, sanguinem suum a consanguineo admisso adeo corruptum fuisse, ut inde dicta mala subsecuta fuerint. Quin & aliorum animis ea insidet opinio, conjugium consanguineorum & vicina affinitate coniunctorum minus prospere faustaque cessurum, sed conjuges discordes variisque morborum generibus obnoxios fore. Cujus rei tamen fides non solum valde sublesta est, sed inter causas naturales nulla allegari posse videtur; Consanguinei enim, cum eodem sanguine orti sint, eandem forsan humorum crasis obtinent, adeoque semina in coitu mista tantum absit, ut dissimilitudinem quandam inter se servent, & alterutrius sanguinem corripiendo morbos inducant, ut constantem potius partibus harmoniam concilient. Quid quæso in primo mundi exordio Caino non fuisset metuendum, qui nisi Germanam uxorem ducere non potuit? Nonne Deus ipse jussit, ut vidua ~~annus~~ defuncti mariti fratri nubat? nonne Patriarcha Jacobus duas sorores in thalamum adsciverat? nonne Herodes Tetracha in Galilea fratris conjugem uxorem duxerat? Nonne, ut ex profana Historia exempla adducam, Imperator Antoninus Caracalla novercam suam Julianam pro Conjuge habuit? Nonne hodiernus Lusitanus Rex Petrus cum Fratris Alphonsi Conjuge matrimonium init? quibus tamen omnibus ullum malum ex seminum commissione ortum fuisse non legitur.

§. XLI. Conjuges nunc considerandi sunt, inter quos aliqua morum similitudo vel alia quavis in re harmonia ut plurimum observari perhibetur; quæ conspiratio cum moralis sit, nec physici quid sapere videatur, talesque qualitates ab iis possideantur, antequam matrimonii vinculo combinentur, ad nostrum scopum facere non videtur. Quoniam vero talis inter conjuges intercedit necessitudo, ut eadem mensa, eodem lecto utantur, osculis delectentur, concubitum celebrent, facile fieri potest, ut poulis mendiantibus oris ulcera, halitu fomitem phthisicum, effluviis sub stragulis et morbo corpore exhalantibus & loticis communione miasmata scabiei aliquorumque morborum contagiosorum, imo partium genitalium contactu luem Venereum alter alteri communicet. Casu autem & absque peculiari conjugibus propria Sympathia factum esse existimo, ut, referente *Valleriola lib. VI. obs. 2.* Chirurgus quidam gravi pleurite affectus intra undecimum morbi diem mortuus fuerit, ejusque uxor confessim a morte mariti in eundem morbum inciderit, & paribus Symptomatis affecta undecimo obiecit it, ut Monspelii Dominus Boqua & ejus uxor atate confecti eodem die mortui

mortui & eodem feretro terræ matri demandati fuerint; it. ut Avenione Franc, Merula Legum Doctor ejusque conjux eodem die fato concederint.

§. XLII. Nunc dispiciendum est, quale homines nullo vel consanguinitatis vel affinitatis vel matrimonii nexu juncti jus in se invicem habeant? Ubi iterum morales linquo sese afficiendi causas, dum scilicet homo homini DEus, angelus, lupus, diabolus dicitur, & vel insidias struit, vel benevolentiae documenta exhibet. Physicas solummodo sector rationes; quæ duplices videntur; Agit enim homo in hominem vel per contactum immediatum, vel mediantibus effluviis. Immediate hoc contingit, dum manibus concutiendo, pedibus calcando, dentibus mordendo, mille mala dolores que corpori alterius alter inducere valet. Sic iratarum in Candia foeminarum morsus venenatos & prope insanabiles esse Authores testantur. Wenn die Weiber im Zorn einen biesen/ so sey solch blutruinstig Verlezen so vergiftig und schädlich/ als der von einem wütendem Hunde verleht o<sup>r</sup> der von einem Scorpion gestochen worden. Job. Iac. Breuning Itin. Part. IV. cap. 4. conf. Neutschütz Part. III. lib. II. cap. n. Mediantibus effluviis hominem ab alio lədi posse, nemo negabit, cui contagii natura cognita fuerit; Hæc enim non solummodo humores inquinat, sed Spiritus animales pariter afficit, ut in peste; imo & in partes solidas determinatas agit, ut ophthalmia, angina, pleuritis, dysenteria contagiosa & phthisis docet. Non autem absoluta contagii injus vis in corpora est, sed illa solum occupat, quæ dispositionem ad illud favendum naœta sunt; quemadmodum videmus, multos, qui peste laborantium curam gerunt, immunes ab hac lue manere. Nec necesse est, ut specie idem morbus contagii vi in aliis corporibus producatur, quin videmus, consimilem dispositionem p. n. in eis hoc quandoque imprimere. Sicut Tulpus obs. lib. IV. cap. 8. testatur de foemina, quæ ulcerato mammae carcinomate laborans famulam non solummodo operam ipsi continenter navantem eodem malo imbuit, sed sibi quoque, qui mali curationem in se suscepere, talem impressionem communicavit, ut præter insignem cordis defectum, aliquando guttur usque adeo exulceraverit, ut non Mercurio sublimato solum veruin etiam forfice quotidie opus fuerit, ad auferendas crustas a depascente veneno in fauibus excitatas.

§. XLIII. Multæ equidem, fateor, circa ejusmodi conspirationem circumferuntur nugæ; Sic non facile duos simul ex cantharis cerevisiam haurire videbis; vana enim illorum animis insidet persuasio: Sie möghen einander die Röthe abtrinken. Quæ quidem Consuetudo quemad-

modum minime taxanda est, ita ex alio fonte ortum traxisse videtur. Scilicet a prima pueritia ita instituimus, ut Superioribus honorem conservemus illibatum, hinc eam ab causam Inferioribus bibere non convenit, illis potum hauientibus; sicut alias a prima institutione os maculatum mappa abstergere prohibemur, non quidem, licet ita doceamur, ne os pustulis deturpetur, sed ut mundicie studere assuescamus.

§. XLIV. Magnam visui esse efficaciam, multi credunt, ita ut in quorumvis hominum conspectu fonticulum mundari, vulnus ulcusque deligari non permittant, rationem reddentes; Die Augen wären süchtig; alii mutuo aspectu amorem conciliari ac per visum fascinare quosdam posse sibi persuadent; quemadmodum canit Poeta:

*Nescio, quis teneros oculis mibi fascinat agnos?*

Verum prius assertum falsa nititur hypothesi, visionem fieri per emissionem radiorum ad sua objecta; cum per eorundem receptionem potius sensationem hanc formari sit supponendum. Oculi E. quatenus visus sunt organum & vident, laedere neminem possunt. Id tamen inficias ire nolo, posse hominem quandam pravis scâtere humoribus, eosque per poros, ut totius corporis, ita etiam oculorum sub effluviôrum nomine extra corpus dimittere, qui ad fonticulum, vulnus, vel ulcus delati dolores excitant, vel consolidationem impediunt, quemadmodum videmus ophthalmicos ophthalmiam, lippientes lippitudinem cum aliis communicare, non quod homines adspexerint, sed quod miserrata contagiosa ex oculis ipsorum emanantia versus adstantes fuerint disseminata. Si mutuos amores nudus conspectus conciliat, cur quo<sup>rum</sup> repulsam sape fert ab amata amans? Nec tamen nego, concitari quandoque duas personas ad reciproci amoris constantiam ad primum conspectum, hunc nihilominus effectum non videndi facultati & efficacia, sed vel oculorum pulchritudini, vel formae elegantiae & faciei decori, quod in quo consistat, determinari sape numero non valet, in acceptum omnino referre decet. Quemadmodum e contrario moribus pariter atque formae debetur, ut odium nescio quale in hunc vel illum conjiciamus, ipsiusque consuetudinem fugiamus, juxta illud *Martialis: Epigr. 33. lib. I.*

*Non amo Te, Sabidi, nec possum dicere, quare,*

*Hoc tantum possum dicere, non amo Te.*

Quod vero oculis quis fascinare possit, vel fabula est, vel Cacodæmonis ope & modo supernaturali contingit.

§. XLV. Nec majori fide dignum est, dum ore fascinum fieri quidam cre-

credunt, quando scil. laudibus extolluntur infantes: Wann sie beruffen  
 oder beschryben werden / adeoque superstitione non caret antidotus, lauda-  
 tionis præservandi sine addita, quod præfiscine dixerim, q. d. ne noceat.  
 Credulae enim gentilitati diabolus perfaust, verbis induci & abigi posse  
 morbos, quæmadmodum & industriis rerum naturalium convulsor Plinius lib.  
 XXIX. cap. 3. Hist. Nat. longum sic curatorum & curantium cata-  
 logum recenset, qui quoque apud Heurnium Meth. ad Pr. pag. 664. videri  
 potest. Quomodo enim, quod spiritu sere ipso citius dissipatur, talem ha-  
 bebit potentiam, ut tam subito corporis intemperie alterationem inducere  
 possit? quomodo quod omnis efficaciam expers natura esse jussit, efficaciam  
 aliquam de se edet? sunt verba nota tantum rerum, & solummodo ex pacto  
 f. Sæc. hominum significativa; si enim  $\Phi\sigma\tau\epsilon$  illud haberent, indistin-  
 git omnia hac pollerent facultate, & tum supervacaneum esset eadem cer-  
 tis vicibus cum rhythmo, murmure, expunctione & aliis anilibus efferre Ce-  
 remoniis. Augerius equidem Ferrerius lib. II. M. cap. ii. eam potentiam  
 non.  $\alpha\pi\lambda\alpha\zeta$  deducit a verbis, sed ex vi nostri animi dependere putat, qui  
 potenter, quod concepit, operetur; Tali vero conceptui, cum sit in Catalo-  
 go immanentium actionum, repugnat, ut de corpore in corpus meare pos-  
 sint, neque tantillum in alio poterunt operari corpore. Nec sequela a  
*Quercetano in Pest. Alexicac. scđt. 41.* formata consequentia bonæ valore ni-  
 titur, qua intendit, ex contrariorum natura certum esse, verbis quan-  
 doque pelli posse morbos, cum sint verba vel incantamenta, qua morbos  
 inducere possint; Etenim nunquam probatum dederunt verborum Patroni,  
 quod talia sint verba, morbos natura sua inducere valentia. Permittente  
 quidem DEO, sagas suis cantibus homini nocere posse non inficias iverim,  
 ut si in principium & originem talium effectuum inquirere christiano more  
 velimus, malum illud esse & a malo reperiemus, ipse scilicet demon ( aureis  
 hic utor verbis magni Scaligeri Exerc. 349.) agit, quod stultus ille ac vecors  
 magus suis verbis agere se putat. Nec divinorum verborum ( quæ Mart. Det-  
 rio lib. II. Mag. disquis. qu. 8. ad morborum depulsionem sine mortu con-  
 scientia adhiberi posse statuit) recitatio & usurpatio ulla hic valet prærogati-  
 va, siquidem *Apostolus II. Timoth. 3.16.* eorum commoda delincans de Ut-  
 litate in iacta nihil addit; Multo minus illi excusandi sunt, qui dum in signifi-  
 cativis & usitatibus verbis non inveniunt, quod querunt, ad suum *Calaminar,*  
*bax, pax, max adimax & alia donum atra* diabolica & barbara confugiunt  
 nomina, in iisque, præcipue in vulgari *Abracababra* omnem collocant fiduci-  
 am,

## DISSERTATIO MEDICA

32

am. Quæcumque vero vis ab ore dependens in distans operari potest, per effluvia contingit, quatenus halitus hominis venenosus aut contagiosis miasmatibus (ut phthisici) imprægnatus adstanti malum aliquod affricare (e.g. phthisin) valet. Spectat huc Historia, quæ in *Transact. Anglie. Ann. 1699.* pag. 87. de malefico quodam refertur, quiaconita in fau-  
cibus recondita gerens Alexium Lopez inter fictas amicitias halitu suo venenoſo e medio tollere cupiebat, nisi Fabæ S. Ignatii ab hoc gestæ efficacia affectus mortuus concidisset, atque poenam talionis luisset.

§. XLVI. Majori inquisitione digna est historia ab Helmontio. *Tr. de magn. vuln. Curn. §. 23.* relata: Bruxellis quidam, dicit, in pugna nasum amissit, adivit Chirurgum Tagliacozzum, Bononia degentem, ut nasum præstolaretur; & cum incisionem brachii sui timeret, bajulum ad hoc conduxit, & e cuius brachio nasum dato prelio eruit; Mox tredecim circiter menses a reditu in patriam repente nasus infitius refriguit, & abinde aliquot diebus putridagine cecidit. Cujus rei inopinatum casum investigantibus inventum fuit, eodem forte momento, quo nasus friguit, expirasse bajulum. Circa quem casum monendum duco, hanc Chirurgiam Curtorum impossibilem a multis prædicari, a quibusdam variis difficultatibus subiectam & periculo plenam proponi. Ponamus tamen, rem succedere, inquirendum est, num nasus factius computre-scere possit, altero in remota regione mortuo? affirmantes ad pororum similitudinem inter nasum & pristinum corpus intercedentem, & effluvia utrinque secum communicantia refugiunt. Verum cum multa ponantur, quæ non satis probata sunt, & corpus in aliud extra sphæram activitatis suæ constitutum agere minus valent; nec hanc rationem admittere, nec aliam allegare audeo, sagacioribus rei decisionem committens.

§. XLIX. Sed pergo & examino, qualem homo cum aliis Entibus foveat communionem? Cum autem ea sint vel immaterialia materialia, illa pri-mum delibanda sunt. Cum DEO hominibus intercedere communionem, quis negabit? Siquidem ad ipsius imaginem non solum creati sumus, sed & in eo etiamnum sumus, vivimus, & movemur, atque intimam Sacra Eucharistiæ refecti cum eo inimis unionem; atque DEUS super peccatores respi-scentes beneplacitum suum testatur. Angelos vero bonos tutelares hominibus adstare, malos vero insidias struere, Sacra nos docent Literæ. Quoniam autem hæc naturales supergrediuntur Leges, sub nostram non cadunt considerationem. Inquirendum nunc solummodo est, num foeminae cum diabolo coire & concipere possint? Infinitæ quidem Sagarum prostant historiæ

istoriae, se cum Cacodæmaone coitum celebrasse, fatentium; verum quoniam malus iste Spiritus membris destituitur ad hunc actum necessariis, uno verbo, immaterialis existit, tantum abest, ut cum Roderico a Castro Part. II. de Morb. Mul. lib. III. cap. 6. idem affirmem, ut potius cum Wiero de prefigiis demon. cap. 24. §. 14. & de Lamiis cap. 21. §. 8. ad læsam imaginatem hoc referam, cum, ut inquit Jamblichus de Mysteriis, que fascinati sibi imaginantur, præter imaginamenta nullam habeant actionis & essentia veritatem. Multominus concepisse eas dicendum; quin subdolus hic Seductor mulieris uterum inflat, ut se ex illo gravidam existimet, exactoque tanto tempore, quanto uterum gestare solent mulieres, dolores graves in utero concitat, & aliunde sublatum infantem aut aliud quid dolose supponit, tumoremque ventositate concitatum illico solvit, & reprimit. Contingit tamen & hoc nonnunquam, ut dæmonum nomine veri congregiantur cum fœminis viri, veluti Decius Mundus Paulina potitus est, dum scilicet se Anubidem finxerat, vid. Joseph. Antiquit. Judaic. lib. XVIII. cap. 4. & Sacerdos quidam Saturni Tyrantus dictus sub DEI sui nomine primarias stupravit matronas, teste Eusebio Ecclesiast. Histor. lib. XI. cap. 25.

§. XLIX. Ab immaterialibus ad materialia pedem promoveo; inter quæ universus mundus se sistit, quem quidem cum homine comparare multi sudarunt Authores, Nanzelius sc. Scipio Clarmontius, Fortunius Licetus, lib. singulari, cui titulus: de Mundi & hominis analogia, Basilius Valentinius Franc. Tidiceus, Stephanus Roder. a Castro de Meteoris Macro - Microcosmi, Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb in Oceano Macro-Microcosmico, &c. Quoniam enim viderunt, quod aqua, quam Universale rerum omnium principium esse præ reliquis contendit Helmontius, Tr. de Element. majores mundi semitas continua permeat pericycloi, ita sanguis pariter, vitalis ille liquor, minoris mundi canales jugi itidem perfluit circuitu, atque uterque humor utriusque naturæ commercia, (ut eleganter magno Kirchero in Itin. Eccl. Terrestri passim audiunt) pertractat negotiatione &c. microcosmum sc. hominem ad Macrocosmi norniam fabrefactum esse, adstruere non dubitarunt. Certe Paracelsus Paradoxorum faber in similitudine hac constituit fundamenta universæ fere doctrinæ sua παρεγδονέρεας. Sed mira eum licentia in has Microcosmi parærias Medico indignas lapsum esse jucicat Helmontius de Febr. cap. III. §. 21. quin gratuletur potius animæ suæ, quod figuram DEI vivi referat, non autem mundi. Nec nos moratur hæc analogia, cum potius de Actionibus solliciti sumus. Scripturarii potius hic

taxandi veniunt, cui seckte Arnoldum Bachimium, qui Pan sophiam Enchiristica scripsit, merito accensemus, quod animam mundi s. spiritum universalem, subtilissimum, passionibus tamen subjectum, divisibilem, sensu & ratione praeditum, scientia infinita hoc vel illud, adeoque etiam in Corpore humano praestandi gaudentem, cognoscentem, vitalem, a Centro ad Cœlum usque empyreum extensum statuerunt. Quoniam enim ejus existentia, nec experientia, nec ratione, nec revelatione, probari potest, non est, cur ipsis multa attributa & vires in corpora mundana horumque mutationes, adeoq; in corpus humanum adscribam.

§. XLIX. Mundi communiter corpora in simplicia s. Elementaria, & Composita dividunt, quorum illa Peripatheticis Ignis, aér, terra, & aqua, audiunt: Quemadmodum autem hanc controversiam impræsentiarum meam haud facio, in comperto etiam fatis est, quanta ignis sit vis in corpus nostrum, dum non solummodo culinaris admotum digitum comburit, & distans membrum calefacit, verum etiam radii Solares cutis colorem immutant; & quantam aqua noxam infert illis, qui ei immerguntur; de aere solummodo pauca referam. Hic enim dum inspiratur non solum, sed & corpus nostrum ambit, vario modo hoc alterare potest. Quantum enim aëris mutatio ad valetudinem vel conservandam vel restituendam faciat, solum nos Ciceronis exemplum docet, qui in Brutis, de claris Oratoribus cap. 91. de se sequentia narrat: Erat eo tempore in nobis summagracilis, & infirmitas corporis, procerum & tenue collum; qui habitus & figura non procul abesse putatur a vita periculo, si accedit labor, & laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate & totius corporis contentione dicebam. Itaque cum me & amici & Medici hortarentur, ut causas agere desisterem; quodvis potius periculum mibi adeundum, quam asperata dicendi gloria, discedendum putavi. Sed cum censerem, remissione & moderatione vocis & commutato genere dicendi, me & periculum vitare posse, & temperatus dicere, ut conservudinem, dicendi mutantem, ea causa mibi in Asiam proficisci dicitur, -- Ita recepi me biennio post non modo exercitiorum sed prope mutatus, -- Nam & contentio nimis vocis reciderat & quasi referverat oratio, lateribusque vires & corporis mediocris habitus accesserat. Excurrere nunc possem, atque monstrare, quomodo aér, si calidus vel frigidus, humidus vel siccus, gravis vel levis sit, corpus nostrum alterare & immutare valeat, nisi præeuntem haberem D. Christian. Joh. Langium Medicum apud nos quondam famigeratissimum, cuius præmaturam

mor-

mortem omnes mecum Boni lugent; Is enim in disputatione , quam ante hos 7. annos de Homine Aerometro habuit, id ipsum luculenter deduxit.

§. L. Corpora mundana sunt vel cœlestia , vel sublunaria ; Magnæ inter Physicos controversiae aguntur , num corpora cœlestia s. stellæ influ-xum in sublunaria habeant, & corpus nostrum regant? Si dicendum, quod res est , agere in nos non possunt illæ , nisi mediante , qua cingimur , atmosphera . Eam enim compriment , rarefaciunt , effluviis inquinant ; atque sic ad temperiem & texturam corporis, ex qua animæ pariter motus & inclinationes insigniter variant , & distrahitur , aliquid conferre valent. Nullo tamen modo existimandum , futurorum contingentium & a libera agentibus profluentes actiones prædicti , aut voluntatem illam liberrimam in nobis cogi posse , & ad hoc vel illud agendum determinari . Nugæ enim sunt themata genethliaca , & quæ hujus sunt propriae . Misera enim erit Astro-rum conditio , si obpercirent echaris , chameribus , nominibus , picturis , sculpturis , phantasias , bestiis , insectis & metallis coganteur . Quis quoque ille furor esset , qui hacce excellentiæ corpora agiraret , ut invita ad placitum characterum pro-ferrent energias ? quæ est cum aratri , anguis & terroribus sculptis pictis-que Sympathia Cœlestibus ? ut dicit Hæchstetterus obs. Dec. III. pag. 212. Multa astrorum vel ob molis exilitatem , vel nimis remotum , in quo moven-tur , locum , nullam vel exilem in atmospharam habent vim ; A Sole calie-ri corpora nostra , in proposito est , atque a Luna , quæ nostro globo Terra-queo maxime vicina est , pro diversa vi , quam modo in apogeo , modo in perigæo constituta habet atmospharam alterari posse , vix dubitandum .

§. LI. Sublunaria corpora dividuntur in Terrestria , aerea , subterra-nea & submarina , ad triplex naturæ regnum communiter dictum , vegeta-bile , Animale & Minerale commode reducenda . Regnum Vegetable com-prehendit plantas , flores , folia , radices , semina , arbores , fructus &c. Animale complectitur omnia viventia , sive sint quadrupedia , s. volatilia , s. natatilia , s. reptilia . Minerale suppeditat Metalla , Mineralia , succos Minerales , Lapi-des &c. Quæ omnia ita comparata sunt , ut sive simplicia sive arte chymica & culinari præparata ore a nobis assumantur , vel in succum & sanguinem convertantur , atque in corporis nutrimentum cedunt , vel pravos humores alterent , vel educant , atque partibus solidis tonum naturalem restituant , vel denique ita afficiant corpus , ut si non mors , enormis certe noxa sit metuen-da , hinc ista respectu corporis nostri commode sub alimentorum , medica-mentorum & veneorum nomine veniunt .

§. LII. Quam magnus etiam horum sit apparatus, miraque vis, magis tamen mirandum, quod Homines etiam post funera prosint vel obsint. Nutritionem enim non solum corpori concedunt, quod Indi Anthropophagi docent, sed in medicamenta facessunt, non minus integra cadavera in mumiam præparata, quam partes, sive fuerint laudabiles sive excrementitiae; (de his consule Paulinum in der heilsamen Dreckapothecke/ de utrisque Beckherum in Medico Microcosmo) imo venena nobis existere, ungues & compositio dela poudre de Succession satis patefaciunt.

§. LIII. Quæ quidem, quomodo has vires in corpus nostrum exercant, facile concipere licet, siquidem ore assumuntur, atque immediate humoribus immiscentur; an vero simili gaudent potentia, si ore non capiantur, &c in distans operentur, nunc dispiciendum. Affirmare hoc non dubito, quicquid tamen agunt, per effluvia agunt; Nutritionem quidem quod attinet, audiamus Plinium Hist. Nat. lib. VII, cap. 2. ita differentem: Astomorum gens sine ore, toto corpore birta, vestitur in India frondium lanugine, halitus tantum vivit & odore, quem naribus trahit. & Massilium Ficinum, qui lib. IX. de vita producenda hæc habet verba: Legimus in calidis quibusdam regionibus ac plurimo paſſim odore fragrantibus, multos gracili corpore & imbecilli stomacho quasi ſolis odoribus ali. Circa medicamentosam vim neque dubium ſupereret; docent enim hoc Unguenta, Emplaſtra, Cataplaſmata & amuleta, quæ extremam ſolum corporis ſuperficiem contingendo & poros penetrando vires suas communicaunt. Venenorum demum efficaciam Metallarii, Chymici & Aurifabri Arſenicalica, Antimonialia & Mercurialia traçtantes, loquuntur, quorum effluviis quandoque miſere conficiuntur.

§. LIV. Transplantationis mentio hic facienda eſt, qua ægritudines transferuntur vel in animal brutum, vel in alium hominem, vel in rem inanimatam. Multa equidem ejus proſtant exempla, quæ tamen num ſemprent bona fidei, dubito. Mihi certe tam felici haſtenus eſſe non licuit, modum capere, quo in distans hæc actio & reactio fiat, ſeu quo medio communicetur mumia vitalis extra corpus alterata, cum mumia vitali in corpore residua. Cura certe Sympathetica, qua per Urinam ægroti certo modo traçtata hujus ægritudines depelluntur, ab orco hoſe ſeculo revocata iterum videtur. Ante hos tres annos cum Leowardia eſſem, Medicum talem Sympatheticum ibidem habitasse, urbem vero, quoniam ſolvendo non fuerat, modo reliquie, comperiebam. Roterdamum cum venirem, famu-

famulum ejus offendebam, *Cornelium Stoock*, qui insignia prægrandia foribus appensa habebat, quæ infinitos ægros hoc medio curandos exhibebant, additis verbis: DOCTOR SYMPATHETICUS. Lugduni dein communni mensa fruebar sub insigni Civitatis Chalon cum Medico Gallo, *Rouillet* itidem Sympathetico. Ante mea tempora eandem artem profitebatur in Belgio *Joseph Don Almerigo*, cuius famuli modo dictus *Rouillet & Redwitz* easdem Enchireses ab eo didicerat, (qua occasione, literæ docent ab Almerigo Belgico idiomate conscriptæ & in vernacula translatæ, quæ in auffgesangener Briefe achten *Pacquet* 1700. in der 105. Correspondenz leguntur) Hic ultimus in locis vicinis degens mira præstare se posse ebuccinat, sudores sc. alvum, vomitum, diuresin movere, etiamsi æger 20. & ultra millaria ab eo distet, modo urinæ ejus compos fiat. Artem, fateor, ( an ineptias dicam ) addiscendi maxima me invadebat libido, quam cum hauissem, famam cognitio minuebat. Videbam enim, nullam ei in rerum natura subesse fundamentum; nec eventus expectationi quoad singula respondebat, ( nec ipse Redwitz singula præstat ) ubi tamen aliquid præstabat circa sudorem remedium, ponderatis rite circumstantiis, fallaciam committi non-causæ ut cauſæ, certus evadebam. Ponamus tamen, vim aliquam operationi subesse, quis quæſo eredet, eam ad 20. millaria extendere se posse? cum singulis corporibus in alia acturis certa sphæra activitatis competit, ultra quam agere non possunt. Et cum non adeo inerme sit gazophylacium nostra medicina, quasi vel infestissimis hostibus nullos opponere posset arietes, quæ quæſo causa, tam infido & fallaci confidendi curandi modo? Rationes equidem naturales adducere conatur *L. Benjamin Schärf* in seinen unvor-greifflichen Gedanken von denen bisher heimlich und unverforschlichen gehaltenen Magnetischen Curen; quibus operatio talismodi commode explicari valeat; verum quoniam animam mundi pro fundamento habet, illis refutandis non insistam, cum quid de hac sententia sit habendum, ex superioribus conſlet.

§. LV. Epimetri loco addo quæſtionem, num temporī aliqua in nostra corpora & nostras actiones sit efficacia? Multi quidem sunt, qui plantas vel radices certo die certaque hora effodiunt, majoresque inde fibi ab his pollicentur in Medicina vires; multi novilunii vel plenilunii tempore domum mutare detrectant, multi morborum Curationes certis diebus non aggrediuntur. &c. Verum quemadmodum lubens concedo, plantas ad usum Medicum indifferenter non esse colligendas, sed observandum se-dolo,

dulo, num succo seanteant, num floribus superbiant, vel destituantur? illud tamen non diebus certis in acceptum referendum est, utpote qui Non-Ens, & mensura solummodo sunt, a nostra voluntate dependens; nec intererit quicquam, sive illæ XI. sive XII. noctis hora, sive festo Johannis seu die antecedente effodianter; Nec nostræ actiones juxta tempus sunt mensurandæ; siquidem eadem fortuna domus mutationem comitabitur, sive plenilunii sive novilunii, sive intermedio tempore illa adornetur. Tandem quamquam largiar, non quidlibet omnibus morbi temporibus esse moliendum, siquidem alia sub ejus principio, alia sub augmento, alia sub statu, alia sub declinatione propinanda sunt, nec omnibus temporibus venam secandam, purgantia exhibenda esse; hæ tamen non a tempore qua tali, sed vel a morbi motu, & genio vel ab ætri constitutione vel ab atmosphæra conditione dependent. Sæpius enim alias recte agendi præterlaboreretur occasio, quæ tamen præceps est, & sanitatis hosti jus concederetur, ut totam impetat, & destruat corporis œconomiam; quo intuitu *natus* a divino Hippocrate ò*γε* nominatur.

## F I N I S.

### COROLLARIA.

- I. Haud absurdum est statuere, paroxysmum Apoplecticum per opiatæ quandoque tolli posse.
- II. Nævi Materni non sunt Qualitates occultæ.
- III. Nec Cura per Transplantationem est Qualitas occultæ.



Ung V 8

ULB Halle  
001 516 264

3



SB - 111

60 18  
VDT 7

Z



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISPUTATIO MEDICA  
CORPUS HUMANUM  
**SYMPATHE-  
TICUM**

sistens,

Quam,

Gratiosissima Facultate Medica

Indulgente,

Pro L O C O

in Eadem obtinendo

ad diem 19. Augusti A. C. M DCCI.

H. L. Q. C.

publice ventilandam  
exhibit

**MICHAEL ERNST ETTMÜL-  
LER, M. F. Phil. & Med. Doct.**  
Respondente

Friderico Friedel/ Scaudiza-Ciz, Misn.  
M. C.

LIPSIAE, Typis JOH. GEORG.

